




ex Libris Ægid. ...







1246/A

complet

CAMPOLONGUS

GRP

31/3/53

ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ,

Seu,

NOVA COGNOSCENDI MORBOS METHODVS, AD ANALYSEOS

Capivaccianæ normam, ab Aemylio Campolongo, Professore Patavino, expressa:

Nunc primùm verò, per

IOHANNEM IESSENIVM à Ieſſen, rectè diſcentium & medentium uſui, publicata.



VVITEBERGAE,


Typis Laurentij Seuberlichij,

ANNO 1601.

Illustri ac Generosissimo Principi, Domino ENNONI, Frisiæ Orientalis & Ritbergæ Comiti ac Domino: Domino in Esens, Stetesdorff, & VVitmonda, &c.

S. D.

Iohan. Ießenius à Iessen. Illustriß. Sax. Ducum Medicus, & Profeß. VViteberga.



EA virtutis ratio est, Illustris & Generosissime Comes, ut ibi plerumque magis hæc sese explicet & diffundat latius, ubi ampliorem exercitii campum consecuta sit. Est verò is eorum animus, qui ex nobiliori luto formati, sive sublimiori loco nati sunt. Vnde nõ mirum, si Tales ultrò individuus comes Gloria comitetur splendidior atque constantior. Eccui igitur Sacri Imperii Comitatus nobilissimus, fœcundissimusq; Frisia, & Ea potissimum, quæ Ortum prospectat, ignota esse poterit? in eaque Principes ipsi? & hos inter Tu inprimis

ENNO Comes generosissime, iam dudum ut avitæ virtutis, sic nuper paternæ ditionis Hæres felicissimus. Quod enim domi continens subditis ex æquo ius dicis, sapienter consulis publico bono, id non tui tantùm homines in te agnoscunt ac deprædicant sed prudentiæ huius tuæ fama longiùs progressa exterorum etiam aures ferijt: inprimis verò iudicium tuum de re literaria rectissimum, & erga disciplinas omnes singulare studium, ut hodie in principibus viris rarum, sic in te summopere admirandum & extollendum, maximo omnes tui accendit desiderio. Atque hinc istud, quod tibi, Clariss. vir D. Thomas Frantzius, ex me offert literarium munusculum, seriæ gratulationis & venerationis testimonium, unicè profectum, Quod ut placeat, quemadmodum prolixè spero, sic obnixissimè abs te contendo. Vale Heros cum tota Aula quàm optatissimè, nouumque, cum nouo hoc seculo, annum, lætus & felix auspicare. Dabantur VViteb. Calend. Ianuarii Anno 1601.

IOHAN.

IOHANN. IESSENII A IESSEN,

Ad Lectorem Præfatio.



Vicquid à nobis percipitur, aut sensu, aut mente accipi, hoc est, vel sentiri, vel intelligi necessum est. Hoc pacto ignem calere, candere nivem, dulcere mel, persentiscimus; nec quicquam horum rationibus comprobatur, sed satis est sensui obijci quod sentiendum: adeò ut ad eas res cognoscendas, quorum judicium in sensu positum est, nihil nos doceri attineat, sed sufficiat moveri. Præter quod enim celeriter res comprehendunt, maxima insuper ipsis veritas est, si modò sani sint & valentes, omniaq; submoveantur obstacula: atque tunc incorrupti testes exsistũt sensus. Quæ verò sensum subterfugiunt, & mente tantùm percipi possunt, duum potisimum sunt generum. Prom-

pta alia & aperta, qualia pronunciata græcis ἀξιώματα; quæ mediocri adversioni patent: ut quod totum parte suâ maius exsistat. Alia vero occulta & involuta sunt, quæ omnino rationes postulant, à quibus patefiant ac demonstrẽtur: cuiusmodi sunt, quæ in homine ægrotante sensum latent plurima. Licet enim eorum vitiorum, quæ corporis superficiem occupant, sensus ipse abundê judex sit: nõ tamen illorum causæ pariter sunt obviæ. Qui verò in intimo corporis recessu latent absconditi morbi, etsi non absq; sensibus, non per hos tamen immediatè, sed discursu quodam menti produntur: eò, quòd circa particularia versemur, & ob id artifices sensuales audiamus, arsq; ipsa hinc conjecturalis maximè dictitetur. Quare rationib. opus est, quæ ex rebus perceptis. ad id, quod percipiendum est, manu quasi deducãt. Huiusmodi Philosopho, quod rem aliquam signent, sive significent, signa dicuntur: Neque refert signa, notas, indicia aut alio quovis nomine illas

exprimi,

exprimi, modò id intelligatur, quod ſenſibus noſtris obvium, aliud comitatur latens & occultum. Nec etiam hoc loco eam, quam inter σημεῖον & τεκμήριον Græci conſtituunt, agnoſcimus differentiam; quòd latiùs longè Medicis, quam Philoſophis, uſurpatum ſigni ἔτυμον ſit. Cùm enim Philoſophi ab effectis duntaxat ſigna capiant; Medicis omne id, quod in corpore noſtro fit, & ſignificare valet, ſigni appellatione accipitur. Eſt autẽ ſignificare, aliquid ex aliquo tacitè admonere. Fit hæc admonitio ex rei ſignificantis cum re ſignificatâ comparatione: veluti ex fumo ignis deſignatur; poſtquam effecta à ſuis naſci cauſis conſtat. Verùm ſignorum, generibus & differentiis omnibus communes, apud Medicos certi conſtitui fontes debent. Et primò quidem cùm eſſentia & rei cuiuſque natura, non ſolùm qualis res ipſa ſit, sed & plura alia, ad ipſam pertinentia, oſtendat, primus ſignorum fons à naturâ rei, de quâ agitur, neceſſariò erit deſumendus. Poſtmodum

cùm rerum effectus rem demonstrent ipsam, altera signorum scaturigo ab effectibus derivanda. Cumq; causæ rei in cognitionem illius, quod effici-unt, & cuius causæ exsistunt, nos ab-ducant, fundamentum tertium à cau-sis ipsis desumendum. Quare tria fu-tura præcipua rerum genera, quorum ductu in ignoratæ rei cognitionẽ pe-netrabimus: Natura nempe rei, Cau-sa, & Effectus. Nomine autem Naturæ rei illius formam, genera, differentias, partes, & proprietates intelligimus: Causarum verò appellatione maximè efficientes. Verùm non idem Effectu-um numerus, neque par in omnibus ratio est: siquidẽ nunc in morbis acti-ones solùm lædantur; nunc corporis tantum vitietur qualitas; modo ex-crementa mutentur, à quibus pariter mutuamur signa. Quod enim quip-piam de aliquo significare potest; vel aliquid est de re ipsa & naturâ illius; vel in eam agendo aliquid conferre potest; vel ab eâ profectum. Sunt de re ipsa propria illius essentia, forma, ge-

nera,

nera, differentiæ, partes & proprietates: Agunt conservantq́; Causæ: Effectus verò à re proficiſcuntur. Sed eſt præterea & quartum ſignorum caput conſtituendum, quod à ſimilibus, & omninò à proportione petitur. Hic quartus ſignorum fons, quanquam non ita, ac priores illi, latè ſeſe diffũdat, in quibus tamen locum indipiſcitur, haud parui momenti ſigna præbet. Quod verò Medico non digna ſolùm, ſed & utilis imò prorſus neceſſaria ſignorũ notitia ſit, vel hinc facilè cuivis conſtat, quòd prima curandi indicatio à naturâ morbi ſumatur. Quamobrem Hipp. in lib. de art. med. inquit: Si ſuffecerit medicus ad cognoſcendum, ſuffecerit quoque ad ſanandum. Sed ea huius Medicinæ partis difficultas, ut cæteras ſuperet aut æquet. Quid enim, quæſo, difficilius, quàm præterita, præſentia, futuraq́; omnia, quæ corpori noſtro accidunt, dignoſcere? cùm ſæpe ita latitẽt illa, ut nullo certo iudicio deprehẽdi poſſe videantur; & tam multa variaq́; capita ipſa tractatio obtineat, ut

etiam re ipsâ perspectâ, omnia certa docendi ratione explicare non sit non difficilimum. Et quanquam ab Hippocrate, & huius felici interprete Galeno, dextrè & luculenter, ut cæteræ, ita hæc etiam Medicinæ pars, quæ de signis agit, elaborata explicataq; sit: quia tamen sparsim illa & diffusè nimis, adeò ut etiam mediocris ingenij hominis judicium quãdoq; effugiat, memoriãq; fatiget, sanè vidẽtur illi mihi hac in re, posteris, in quibus ingenium exercerẽt suum, non pauca reliquisse. Proinde qui certam in methodum, paucioresq; regulas, quod distractum & prolixum fuerat, redegerê, næ mihi illi de discentium commodo, & universorum salute optimè meriti censendi sunt. Id quod maximo successu præ cæteris conati, Gulielmus Rhondeletius, Baptista Montanus, Leonhardus Iacchinus: inprimis verò Iohannes Argenterius, Hieronymus Capivaccius, atq; huius discipulus Aemylius Campolongus: cuius Methodum σημειωτικὴν tot auditorum & amicorum meorum interpella-

pellationib. impulſus, & victus, tecum nũc optimè lector, liberaliter communico. Poterat certè jure merito ars σημειωτική tractatus hic inſcribi: ſiquidem artis more generali tractatione ea cõplectatur, quæ nõ niſi in ſingulis vulgus agnoſcit. Etenim ex his communibus, quæ medici cognitionem requirunt, ſingula patẽt facilimè. Non enim quid febrem, quid inflammationem, ſed quid omnem morbum oſtendat: non quid cerebrum aut epar affectum, ſed quid laborantem partem indicet: non quis finis ſit expectandus urgente febre, ſed quid ſperãdum metuendumve in omni corporis ſtatu, traditur: ingenio planè Ariſtotelico, quo, quæ omnibus communia ſunt & generibus propria, ſolùm docentur, quorum vi cætera quoque, quæ infinitam propemodum tractationem requirunt, comprehenduntur. His igitur fruere, lector grate, & vale.

In Methodum Se-
mioticam,
Basilii Plinii Rigâ Liuoni, Med. Doctor.

Epigramma.

IN lucem prodire, videns, Libitina sagaci
Fœtum hoc judicio, & præpete lumine opus;
Infremuit, tremuitq; sibi ipsi excussa pavore,
Atque quiritanti hæc ore, recepta, refert:
Vah conclamatum est: modo prodi exercitus; ultra
Nulla fides latebris, ulla nec insidijs.
Decepisse iuvet, iuuet hinc celasse cuniclis
Ambiguum cæcis obsidionis opus.
En detecta patent vaga pegmata, asyla, doliq;,
Nil quicquam posthac dissimulare potes.
Nempe necesse est certo, & aperto Marte geri rem,
Nunc intrepido animo, nunc agili arte opus est.
E heu pectoribus non sustinuisse valebis
Oppositis certâ, tela rotata, manu.
Quin fugito, ô fugito hinc, viden' ut victoria lætis
Adversus acies plausibus excipiat!

Dixit;

Dixit: cum gemituq́, & planctu se abdidit Orco:
Hinc morborum audent, cognita castra, minus.
Hinc manifesta licet certæ vexilla cohortis
Vellere, prætextusq́; aggeris eruere.
Hinc nunquam dubijs contorta phalarica neruis
Hostis debebit ludibrium effugijs.
Quanta sed ex opere hoc autori gloria surgit
Et generi humano publica quanta salus;
Tanta tibi merito debetur gratia, qui das,
IESSENI, huic ipsi lucis honore frui.
Ex proprio perfecta penu cum æqualia poßint
Promi, non etiam vis aliena premi.
Hoc rarum, æthereumq́: augusta, & curua sibi mens
Tantum adimi censet; quantum alij tribuit.

ALIVD.

QVid protrudere tot novos libellos
Audet IESSENIVS? satis librorum est.
Sic quidam petulante forsan ore,
IESSENI, lacerant tuos labores.
Sed si quis mihi verberabit aures
Istis, illi ego; Credo, vera narras.
Chartarum satis est, satis librorum,
Qui natas-malè, semitariasq́
Fabellas recitant, scatentq́ nugis,

Quosq; ad pharmacopolia & tabernas,
Vt croci piperisq; sint cuculli,
Damnabit rigidâ notâ librorum
Censor verus, & æstimator acer,
Tempus; (nugigeri cavete libri!)
Sed quales Capivaccii invidendum
Acumen genuit, laborq; qualem
Edit IESSENII, *parum librorum est.*

M. Daniel Sennert
Vratisl.

Quò chartæ vacuum expleretur, Lector, visum est, Hieronymi Capiuaccii, ægros rogandi formam, haud impertinenter adijcere.

De

De modo interrogandi ægrotos, Schematiſmus Capiuaccij

Hæc doctrina ideo neceſſaria eſt, quia ex recta ægrorum interrogatione, nocentium cognitionem aſſequimur, ex quarum perceptione illico patent iuuantia, ex quibus conſtant Indicationes, quas qui diligenter venatur, optimus eſt Medicus. Accedimus ergo ægros vel qui

- *non poſſunt loqui: tunc aſtantes interrogabimus.*
- *poſſunt loqui: tunc ipſi, vel ſi debiles nimium, ſimiliter loco ipſorum aſtantes rogandi*
  - *1. de quibus conquerantur.*
  - *2. quo tempore ægrotare ceperint.*

Quibus auditis, interrogentur

- *non de præſentibus quæ oculis ſeſe ſubijciunt.*
- *ſed de præteritis, & tunc dirigatur interrogatio ad actiones vel*
  - *animales.*
  - *natural. & hîc ſimul ad*
    - *exeuntia:*
    - *qual. mut:*
  - *vitales.*

  & ad partes harum actionũ opifices, quomodo ſe habuerint

- *ante morbum,*
- *in ipſo morbo,*

h. e. dirigantur quæſtiones adres

- *ſecundum naturam. Nec multa hîc ægeri interroganid, ſed nos ipſi ea quæ videbuntur cõmemorabimus, vnde nobis maiorem autoritatẽ & confidentiam apud ipſos conciliabimus*
- *præter naturam. Non per omnes tamẽ diſcurrendum actiones ne ægro moleſti ſimus & aſtantibus, ſed ex hiſtoria pars affecta colligenda.*

Est prudentis hominis eum qui seruari non potest, non attingere, ne videatur occidisse quem sors ipsa peremit. Deinde ubi grauis metus est, sine certa tamen desperatione, indicare necessariis periclitantis in difficili rem esse, ut si victa ars malo fuerit, vel ignorasse, vel fefellisse non videatur. Sed ut hæc prudenti viro conveniunt; sic rursus hystrionis est paruam rem attollere, quò plus præstitisse videatur. Celsus Libr. 5. cap. 26.

METHODVS
ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ.

Rtem medicam diuidendam esse in partes superiores & inferiores ceu maximas, docuit Galenus lib. de part. art. med. cap. 7. Ex postremis partibus constituendam esse artem practicam, colligitur ex sententiâ Auicennæ. Superiores tres partes diuisit Galenus l. c. in Physiologicam, Pathologicam, & Semioticam: Ex quibus tribus partibus quidam Theoriam Medicinæ absolui existimant, autore Auicennâ. Sed nos, dimissis in præsentia partibus inferioribus, de parte Semiotica, ad partes superiores spectante, in præsentia dicere decreuimus, atque docere, quid sit Methodus Semiotica, quotuplex illa sit, deinde de signis omnium indicantium methodi curatricis sermonem habere. Cùm enim superioribus annis de Methodo Curandi prolixum habuerim sermonem, dixerimq; frequenter, indicantia eius methodi in ea non cognosci, sed in methodo semiotica magna ex parte declarari: Vos jure merito à me petiistis, ut tractationem de Methodo Semiotica in manus sumerem; quam quidem in præsentiâ vobis tradere decreui. Duo autem circa hanc methodum præstabo: primùm docebo, quid ipsa sit: secundò de eiusdem

Summa tractandorum.

Diuisio libri in duas partes.

dem differentiis loquar. Primo ergo loco docebo, quæ ſint ea quæ in hac methodo ſignificantur: & quoniam methodi eſsentia eius ſupponit exſiſtentiam, & exſiſtentia cauſam; atque ſciri non poſsit, an detur methodus ſemiotica, & cur inventa ſit, niſi de eius nomine prius verba fiant: ideo ante omnia, quid nomine huius methodi intelligendum ſit, explicare oportet.

Nomen.

Per methodum nos intelligimus methodum, non ſumptam pro animi habitu inſtrumentali, ſed pro habitu eiuſdem principali; & eo modo capimus methodum, quo ſumitur ab Ariſtotele 1. Phyſ. in principio, dicente: Quoniam contingit circa omnes methodos &c. Nomine enim methodi intellexit habitum principalem intellectus & potiſsimum artes & ſcientias. Nos itaque, Ariſtotelem inſequentes, per methodum intelligimus principalem animi cognitionem. Per methodum ergo ſemioticam volumus intelligendam eſſe cognitionem omnium indicantium methodi curatricis, quæ habetur ex ſignis. Conſtat hanc reperiri in Galeno, & Galenum huius methodi potius exercitium tradidiſſe, quàm ipſius doctrinam. Cur autem detur Methodus, ipſe Gal. declaravit, 1. de artic. 33. ubi voluit, cognitionem affectuum præter naturam, quæ habetur ex ſignis, non eſſe neceſſariam cognitioni curationis, ſed ipſimet curationi. Idcirco laudat Hippocratem, inquiens: Prius de Curatione articuli luxati

Cur detur Methodus.

locu-

locutus eſt, quàm de cognitione curationis e-jusdem: ſiquidem cognitio curationis luxati articuli, non dependet ex cognitione luxationis ipſius. Idem quoq; declarauit exemplo inflammationis. Poſſumus enim, inquit Gal., tradere cognitionem curationis inflammationis ventriculi, jecoris, & aliarum partium, quamvis cognitio inflammationis eorundem nobis non innoteſcat. Idcirco concludit, methodum ſemioticam non eſſe neceſſariam pro cognitione curationis. Hoc idem docuit Gal. l. art. med. cap. 2. ubi, poſtquam definiuerat medicinam, dicit, quo ad primam intentionem, hoc eſt, quo ad cognitionem, medicina eſt prius cognitio ſeu ſcientia cauſarum, poſtea corporum & ſignorum. Ecce, quod Galenus voluit, præponendam eſſe cognitionem, quæ habetur in parte practica, cognitioni corporum & ſignorum, ſeu cognitioni, quæ habetur in parte theorica. Et idcirco non eſt mirum, ſi in libro de conſtitutione artis med. Galenus, vbi eius eſt inſtitutum de conſtitutione artis medicæ, non autem de curatione ſermonem habere, præponat, inquam, Galenus, indicationes ipſi prognoſtico. Siquidem vbi inſtitutum eſt, conſtituere artem medicam, non eſt neceſſarium, vt pars theorica præcedat practicam: Sed licet etiam doctrinam de indicationibus, ſeu de cauſis curativis præponere parte theoricæ,

nempe

nempe parti de signis prognosticis. Verum in actionibus, vt dicit Gal. lib. art. med. cap. 2 in fine, medicina est scientia prius corporum, signorum, postea etiam causarum: quasi dicat, dum institutum est ad operationem, vt v. g. ad curationem descendere, necessum est, præponere cognitionem affectus remouendi cognitioni causarum, quæ ipsum remouent. Hoc idem melius declarat Galenus 1. l. de artic. com. citato, vbi inquit: In curatione inflammationum ventriculi, jecoris, & aliarum partium, necessum est, prius cognoscere, quid sit inflammatio, quantum distet à naturali statu. Constat itaq;, methodum semioticam non esse necessariam gratia cognitionis curationis, sed gratia eiusdem curationis. Idcirco in methodo consultandi, vbi institutum est tradere curationem eius affectionis, cuius consilium habetur, necessum quoq; est, partem semioticam præponere parti curatrici, loquiq; oportet prius de signis omnibus, & primùm de prognosticis, quàm sermo fiat de indicationibus. Neq; est, quod aliquis dicat, ex prognosticis haberi, an sit descendendum ad materias auxiliorum. Habetur enim ex prognostico, vtrum affectus sit sanabilis, vel lethalis; vtrum breuis vel longus sit futurus. Deinde dum descendimus ad curationem, oportet scire, an sit agendum, quid sit efficiendum, & quibus materijs utendum. Hæc omnia habentur ex me-

methodo curatrice. Quare in ipsis consultationibus necessum, semper præponere partem theoricam parti practicæ; quod quidem immutari potest, dum traditur cognitio affectuum. Idcirco nostri practici possent absq; aliquo errore, si vellent, prius cognitionem, g. e. curationis doloris nos docere, postea de essentia doloris, differentijs, & signis omnibus demonstratiuis & prognosticis sermonem habere. Et si hoc efficerent, Hipocratem imitarentur, qui prius de cognitione curationis articuli luxati sermonem habuit, quàm de eius curatione. Ex prædictis itaq; constat, partem semioticam inventam esse tanquam necessariam pro curatione, non autem pro cognitione curationis. Et quidem hæc methodus, vt est necessaria, ita etiam est sermone digna, cùm ex ea medici docti honorabiles reddantur; quoniam demonstrant, se non ignorare, qui sint affectus, qui remedijs indigent, & qui sint morbi solo prognostico relinquendi vel per naturam sanabiles aut lethales. Qui ergo hanc methodum ignorant, seipsos ac remedia, quæ alijs adiumento fuêre, infamant, frustrà elicientes remedia, & materiis remediorum vtentes, vbi nullo modo conueniunt. Est itaq; honore digna hæc methodus, nec non valde utilis. Vtilissimum enim est, medicos morbos ipsos, morborumq; causas, sanitatem, & ipsius causas indagare ex signis: Quamvis cognitio semiotica, tali modo considerata,

 po-

potius ad Philoſophus, quàm ad Medicos ſpectet. Medici enim non ſpeculantur occulta, vt in eorum cognitione acquieſcant, ſed ut operentur. Neceſſariò itaque honorabili & valde vtili methodo ſemioticæ incumbite. Iam conſtat, quid per nomen huius methodi ſemioticæ ſit intelligendum, & præterea, an detur hæc methodus, & cauſa, propter quam inventa ſit: Nunc eius eſſentia per diviſionem & reſolutionem eſt indaganda. Conſtat hactenus, hanc methodum eſſe cognitionem quandam, & conſequenter conſtat, non eſſe malum habitum animi, ſeu ignorantiam, ſed bonum, cognitionem videlicet. Conſtat quoq; eſſe bonum habitum intellectus, & principalem, non verò inſtrumentalem. Habitus bonus intellectus ex Ariſtotelis ſententia, 5. Eth. vel eſt ſcientia, vel ſapientia, vel prudentia, vel ars, vel intellectus. Hæc pars ſemiotica proculdubio eſt ars. Verum eſt dubium, quomodo ars nuncupari poſſiit, cùm ars ſit habitus cum recta ratione factivus? In hac verò parte nihil fiat, ſed ex ipſis ſignis indicantia cognoſcantur. Iam docui, in expoſitione 1. fen. Auic. omnem medicinæ partem eſſe practicam: atq; theoricam partim eſſe practicam, partim theoricam; & illam dicendam eſſe theoricam, quæ immediatè nō dirigitur ad opus, ſed mediantibus aliis partibus, g.e. in parte theorica & ſemiotica habemus ex ſignis quatuor eſſe genera febrium. Hæc cognitio etſi im-

Eſſentia Methodi Semioticæ.

Dubium.

Solutio.

Methodus ſemiotica eſt & Ars habitus factivus

immediate ſit theorica, mediatè tamen eſt practica; quia non cognoſcit medicus quatuor eſſe genera febrium, vt in hac cognitione quieſcat, ſed ut ulterius quærat, quid ſit agendum, vtrum in omni genere febrium ſit refrigerandum. Omnes medicinæ partes vel ſunt actu, vel poteſtate factiuæ. Curatrix pars eſt actu practica; quoniam actu recipit efficienda: Superiores medicinæ partes, inter quas eſt ſemiotica, ſunt poteſtate factivæ; quoniam etſi actu non continent efficienda, ea tamen poteſtate includunt. Vt dum dico, quatuor ſunt genera febrium: hæc propoſitio poteſtate includit in omni genere febrium eſſe refrigerandum. Propoſitiones phyſicæ ac diuinæ neq; poteſtate neq; actu ſunt practicæ. Propterea concludimus, methodum ſemioticam eſſe artem & habitum factiuum; non quidem actu, ſed poteſtate: Eſt enim cognitio indicantium efficiendorum. Verùm cùm noſtra non ſit intentio, in præſentia profiteri quamcunque methodum ſemioticam, ſed doctrinam de ſignis indicantium methodi curatricis: propterea hæc noſtra methodus diſtinguitur, non tantùm à cognitione efficiendorum, ſed etiam à cognitione indicantium methodi de tuenda ſanitate, exornatoriæ, & de comp. med. Galenus enim, 2. tuend. ſanit. cap. vlt. dicit, dari cognitionem corporum per ſigna, quæ quidem corporũ, quã ſanitatis indigent, cuſtodiã profitetur. Hanc tamen corpo-

rum cognitionem ex ſignis in præſentia non profitemur. Præterea ut conſtet medicamentum eſſe componendum, g. e. opium tanquam vehementiſsimè frigidum corrigendum croco, oportet non ignorare ex ſignis,ut v. g. ex ſapore, odore, & ex aliis eiuſmodi, opium eſſe vehementiſsimè frigidum. Verùm hæc noſtra methodus diſtingvitur à methodo ſemiotica indicantium compoſitionem. Idcirco concludimus, methodum, quam profitemur, eſſe cognitionem indicantium curationem. Pro quorum indicantium doctrina ſciendum eſt,nos intelligere omnia indicantia, ſiue hæc ſint ſimilia, ſeu res naturales,ſiue diſsimilia, quæ,& cõtraria & res p. n. communiter dici ſolent. Et hoc docuit Hippocrates in principio libri de off. Med. ubi inquit: An ſimilia vel diſsimilia ſint, cognoſcere oportet. q. d. in Methodo Semiotica cognoſcendæ ſunt omnes res naturales & præternaturales. Hinc colligendum eſt, ab hac doctrina excludendam eſſe cognitionem rerum non naturalium, ut aëris,cibi,potus, & aliorum eiuſmodi. Galenus quoq;, in comm. eius loci, partis ſemioticæ, inquit, maximè generale propoſitum eſt, omnia ſimilia & diſsimilia: Per generale propoſitum intelligens adæquatum ſubiectum huius methodi, ſeu rem adæquatè conſideratam. Eandem ſententiam habet Hipp. 1. progn. 5. ubi inquit; Medicinæ partem de ſignis circa omnia ſimilia & diſsimilia verſari.

Et

Et Galenus in comm. subiungit: Non enim solùm pars de signis, sed etiam agendorum indicatio ab his similibus & dissimilibus indicatur. Atq; de agendis similibus & dissimilibus lib. de curandi viâ definitum est: Nunc de doctrina, quæ ex signis comparatur, est agendum. Rectè tamen Galenus intelligendus est. Nam etsi utraq; methodus, & Curativa, & Semiotica, versetur circa similia & dissimilia: Curativa tamen circa agenda similia & dissimilia; Semiotica verò circa indicantia similia & dissimilia versatur. Et quamvis in curatrice parte mentio habeatur similium indicantium & dissimilium: nihilominus hæc tanquam cognita supponuntur in partib. medicinæ superioribus. Sed contra ea, quæ determinata sunt, occurrit dubium: nempe adæquatum subiectum huius methodi non modò omnes res naturales & præternaturales, sed etiam res non naturales esse; inter quas res cùm sit aër, cibus, potus, & eiusmodi alia, Hipp. 2. de nat. hum. tex. 2. dicit, morbos fieri vel à spiritu, seu ab aëre, quo attracto vivimus, vel etiam à victu. Et in tex. 3. docet, quibus signis cognoscàtur morbi ab aëre vel à victu producti, seu, ut docet, quib. signis innotescat àer & victus producens morbũ. Præterea addo, ut si e.g. à pila bombardæ, vel à trũco infixo fiat ulcus, necesse est eiusmodi causas non ignorare; cùm pro curatione ulceris propositi & truncum infixum & pilam bombardæ necesse sit extrahere. Huius- *Dubium.*

modi tamen causæ, cùm extrinsecus occurrant, inter res non naturales connumerandæ videntur. Quare methodus hæc semiotica versabitur quoque circa res non naturales. Pro

Solutio. solutione scitis me determinasse in methodo curatrice, atque in parte illius methodi, quæ fuit de indicantibus præseruatiuis, causam exteriorem per se non indicare remedia, ex accidenti tamen, quatenus non est externa, sed corpori interna fit,& in eodem conseruatur, eandem causam remediis indigere. Nam si sit externa, vt neq; noceat, neq; iuuet, nullius methodi indicat remedia: si noceat,& sit externa,indiget remediis methodi componendi: Aër e. g. calidus, etsi sit externus, quia tamen febri nocet, indiget, ut componatur & corrigatur cum frigidis. Hæc iam indicatio spectat ad methodum componendi. Quod si aër suscipiatur in corpus & fuerit calidus, nihil indicat; Quia statim mutatur in substantiam corporis nostri impetentem, ideoq; in spiritum: itaque cùm non permaneat aër, non eget remedio. Aer tamen perspirans, morbum producens communem, susceptus in corpore non vertitur in spiritum vitalem: imo hunc spiritum tanquam quoddam venenum in sui substantiam convertit. Cùm itaq; hic aër veneficus in corpore permaneat, quamvis secundum naturam suam non innotescat, indiget tamen, vt docui, in tractatu de venenis, remediis alexi-

teriis; ideoque medici ſub axillis ſupponunt arſenicum, vt aër, qui continuò attrahitur veneficus, & veneficus permanere poteſt, per axillas inſenſibiliter evacuetur. Reſpiciens itaque Hipp. l. c. non aërem, qui eſt res non naturalis, neq; aërem nocentem externum, ſed aêrem qui ſuſcipitur in corpore, atque in eodem permanet tanquam materia venefica interna, docuit diuinus ille vir, quibus hic aër innoteſcat, ſeu quibus ſignis cognoſcantur morbi ab aëre peſtilenti inducti. Quod dictum eſt de aëre, idem de pila bombardæ, de trunco infixo, & aliis eiuſmodi eſt dicendum; quod nempe hæ cauſæ externæ, non tanquam res naturales, aut externæ cauſæ nocentes, ſed tanquam p. n. corpori inhærentes, & morbum efficientes cognoſci debent. Hoc enim modo vnà cum prædicto aëre ſunt indigentia remediis methodi curatricis, atq; tali modo ſemiotica methodo indigent & inveſtigantur. Concludimus itaque, hanc methodum verſari circa omnia indicantia ſimilia & diſsimilia. Per indicantia tamen non intelligimus ea tantùm, quorum natura nota eſt, vt propterea excludantur omnino venena; ſed volumus intelligenda eſſe omnia ſimilia & diſsimilia, quæ indigent remediis, ſiue remedia inveniantur indicatione ſiue experientia. Verſatur itaque hæc methodus circa omnia ſimilia & diſsimilia. Namque cùm referatur ad cura-

Indicantia hoc loco ſunt omnia ſimilia & diſsimilia, egentia remediis.

curatricem jure optimo, quemadmodum curatrix methodus verſatur circa agenda ſimilia & diſsimilia: ita hæc methodus circa indicantia ſimilia & diſsimilia, tanquam circa materiam adæquatam, verſatur. Vlterius tamen, quid per hæc indicantia ſit intelligendum explicare oportet. Itaq; intelligimus omnia indicantia, generica, ſubalterna, ſpecifica, & propria. Nam ex hac methodo, propria non ſolùm ſcire expedit, an patiens detineatur re præter naturam: ſed etiam ſciendum, quænam hæc res ſit p. n. an morbus, vel morbi cauſa, vel ſymptoma. Et ſi fuerit morbus, ſcire quoq; oportet, utrum ſit intemperies, vel alius morbus: Et ſi ſit intemperies, ſcire quoq; oportet, utrum ſit calida, vel alia intemperies: Et ſi calida, non eſt ignorandum, cuius gradus fuerit hæc calida intemperies, atq; etiam cuius manſionis. Itaq; hæc methodus eſt cognitio omnium indicantium. Et propterea Hipp. 1. progn. 5, ut etiam Gal. in comm. animadvertit, hoc unum eſſe de dogmatibus maximè artificioſis, inquit, ut non ſolum ex communi natura, ſed etiam ex cuiuſq; artis propriis præceptis conſideretis. Ideoq; Hipp. voluit, cognoſcenda eſſe indicantia in hac methodo, non ſolum communia, ſed omnia, quæ ſub communibus continentur. Illud tamen eſt notandum, quòd etſi hæc methodus verſetur circa naturam propriam indicantium; nihilominus tamen verſari circa naturam

Indicantia

Nota.

turam propriam omnium indicantium particularium, ſed non individuorum. Ideoq; Galenus 3. meth. 7. ſcribit: naturam propriam omnium individuorum nec dici, nec ſcribi, nec omninò mente concipi poſse: ut idem lib. art. med: cap. 2. dicebat: medicinam eſſe ſcientiam qualium, id eſt, ſcientiam ſpecierum, non autem individuorum. Hippocrates 3. de morb. vulg. 1. dum ſermonem habet de cognitione morbi indicantis, inquit, morbos cognoſcimus docti ex communi omnium natura & cuiuſq; propria. Et Gal. in comm. inquit: ex utraq; natura, nempe communi & propria, artes conſtituendas eſſe, ut declaravit in libris de præſagiis & fracturis, & de articulis: nec non certiores eſſe artes, ſi natura cognoſcatur propria, quàm ſi natura innoteſcat communis. Conſtat itaq;, methodum ſemioticam, verſari circa indicantia omnia, communia, ſubalterna, ſpecifica, & propria. Præstereæ cùm ex indicantibus contrariis quædam rationem morbi habeant, nonnulla vero cauſæ: hæc methodus Semiotica non ſolùm eſt cognitio morborum, ſed etiam cauſarum. Et quoniam ſymptomata, in quantum ſymptomata, non indicant, idcirco neq; egent, ut ex ſignis cognoſcantur; & potiſsimum, quoniam hæc methodus, cùm ſit ars, non verſatur circa ea, quæ ſunt notiſsima omnibus, quemadmodum ſunt ſymptomata, in quantum habent rationem ſymptomatum,

Præterea si hæc sunt aliorum signa, non egent ut significentur: quod enim sub sensum aliquem cadit, dicebat doctissimus Fernelius, seipso, non autem aliis signis, percipitur. Contingit tamen, vt symptomata quandoq; rationem causæ indicantis accipiant, vt docuit Gal. 12. meth. 1. & 7. atq; in hoc casu symptoma est cognoscendum in methodo semiotica. Galeno enim symptomata habentia rationem causæ indicantis nũcupantur utilia, de opt. sect. ad Thras. cap. 8. rationalisq; medici munus esse statuit, distingvere symptomata utilia ab inutilibus: & cap. 21. & 24. probat talia symptomata utilia, seu remedium indicantia, & utitur exemplo delirii ex adstrictione producti, quod quidẽ indicat remedium delirium sedans, cuius materia e. g. est aêr obscurus. Hic enim aêr etsi inflammationem ex adstrictione productam foveat & adaugeat; delirium tamen sedat, & est materia remedii indicati à delirio. Si fiat veternus ex pulsatione, veternus erit symptoma indicans vtile, remedium scilicet à somno excitans, cuius materia est aër perspicuus, aut vehemens clamor: Sic enim patientes à somno excitantur. Huiusmodi tamen remediorum materiæ quamuis tollant symptomata, fluxionem tamen adaugent. Et ideo jam constat, dari symptomata vtilia. Quare concludimus, methodum semioticam versari circa hæc symptomata. Et quoniam hæc, dum indicant, rationem

Symptoma, ut symptoma, nõ habet locum in hac methodo, nisi quatenus habet rationem caussæ indicantis.

tionem causæ accipiunt. propterea iure concludimus, methodum semioticam, res præter naturam pro subiecto accipientem, circa morbos tantum & causas versari. Quòd si Gal. lib. de constit. art. cap. 18. methodum semioticam dicat spectare cognitionem rerum p. n. & distinguere iubeat, utrum res p. n. ex genere morbi, vel causæ, vel symptomatis exsistant: nihilominus voluit, cognoscendum esse symptoma in hac methodo, non sub ratione symptomatis, sed quatenus est utile: aut voluit, symptoma cognoscendum esse, ut ex eius cognitione causa & morbus innotescat. Methodum cognoscendi causas & morbos 1. de loc. aff. in princ. proposuit Gal. dum inquit: aliquando ex signis morbũ cum sua causa demonstrari. Et methodum cognoscendi causas Hipp. insinuare videtur 2. Aphoris. 1. dum inquit: Inspicere autem oportet regionem &c. quib. quidem verbis docet, quibus signis humores redundantes inveniantur. Humores autem redundantes rationem causæ morbi habent. Galenus tamen l. art. med. c. 7. ubi exactam de signis profitetur doctrinam, diuidit signa in salubria, insalubria, & neutra. Et salubria inquit esse, quæ sanitatem ostendunt; insalubria, quæ ægritudinem significant; neutra, quæ neutram constitutionem demonstrant. Quare sibi ipsi & Hippocati aduersare videtur, cùm ex eorum sententia methodus hæc semiotica versetur *Dubitatio 1.*

circa

circa ſimilia & diſsimilia, non autem circa neutra. Accedit quoq;, quod, quamvis docuerit, hanc methodum verſari circa cauſas, nihilominus artis medicæ ſigna morborum, ſanitatis, & neutræ conſtitutionis eſſe duntaxat, dixit Gal, non autem ſigna cauſarum. Quantum ad primam dubitationem, dicimus, neutralitatem contineri ſub ſanitate, & eſſe quendam gradum imperfectæ ſanitatis: Et præterea dum Hipp. & Gal. l. de off. med. in princ. & 1. progn. ſigna ſimilium & diſsimilium propoſuerunt, neutralitatis quoq;, ſeu ſanitatis imperfectæ ſigna proponere videntur. Quòd ſi vellemus cum aliis determinare, neutralitatem eſſe mediam affectionem inter ſanitatem & ægritudinem, dicendum eſſet, Hippocratem & Galenum locis citatis ſtatuiſſe gradus mediæ affectionis: quoniam ut idem Gal. 2. de alim. facul. cap. 26. dicit, cognitis extremis, omne, quod in medio eſt, faciliмè deprehenditur. Cuius quidem rei rationem idem Gal. attulit, comm. 2. in l. de offic. med. comm. 22. dicens: Media inter contraria per negationem perſpicua redduntur & exprimuntur. Quòd attinet ad ſecundam dubitationem, dicimus, Galenum l. art. med. ſigna cauſarum non removiſſe. Nam inter cætera ſigna in medium adduxit ſigna præteritorum, quæ quidem ſunt ſigna cauſarum, velut docuit Gal. 4. de præſag. ex pulſ. 11. ubi inquit: Præteritorum

Solutio. 1. (margin, beside "Quantum ad primam dubitationem")

Solutio. 2. (margin, beside "Quòd attinet ad ſecundam dubitationem")

co gni

cognitio nihil aliud est, quam causarum inventio. Methodus tamen hæc non solum versatur circa causas præteritas sed etiam circa eas, quæ morbis sunt coniunctæ: Et ideo Gal. in l. de loc. aff. in princ. vnà cnm morbis sæpe causas cognoci affirmat. Concludimus itaque hanc methodum versari circa omnes res præter naturam & secundum naturam, quatenus tamen sunt indicantia seu utilia; adeò vt constet obiectum adæquatum huius methodi, & obiecti quoque ratio formalis: pro cuius quidem rationis formalis declaratione sciendum est, vt etiam docui in methodo curatrice, eatenus res omnes naturales & præternaturales dici indicantia, quatenus agenda significant, siue indicant, quid agendum, siue rectum usum. Idcirco methodus hæc semiotica versatur circa indicantia, quid agendum, & rectum agendorum vsum. Indicat quid agendum natura indicantis; ideo, ut supra docui in methodo semiotica, oportet ut innotescat natura non solùm propria, sed etiam communis indicantis. Rectus vsus consistit in vbi agendum, quantum, quando & quomodo. Vbi agendum desumitur ex indicante, quod variis in locis reperitur: propterea datur methodus cognoscendi loca affecta seu indicantia variis in locis reperta. Ideo Gal. in princ. c. 5. de loc. aff. l. 1. inquit: Porro accidit, vt locus affectus simul cum dispositione cognoscatur. Per locum affectum potissimum in-

Ratio formalis huius methodi:

tellexit locum affectum rei præter naturam, siue hæc sit morbus, siue causa. Per dispositionem potissimum intellexit morbum: quamuis & sanitas, vt variis in locis reperitur, sit cognoscenda. Et per causam, quam dicit cognitu necessariam esse, non tantùm significavit causam morbi, sed voluit etiam causam sanitatis intelligendam esse. Methodus cognoscendi loca affecta adeo est necessaria, vt Galenus coactus fuerit sex libros de locis affectis, & multos alios affectus conscribere. Necessitas enim huius methodi, vt docuit Gal. c. illo 5. l. 1. de loc. aff., capitur ex ipsa curatione: quia pro diuersitate affecti loci curationem variari contingit. Siquidem, vt utar Galeni verbis; si affectus occurrat calidus, non constat, quousq; sit refrigerandum, neq; quomodo refrigerare liceat, nisi locus affectus innotescat. Noluit tamen Galenus, ut nonnulli credunt, ex loco affecto indicari, ,quousque sit agendum seu gradum remedij:quoniam gradus ex gradu affectus indicatur;quia e. g.affectus est calidus secundum tres gradus,ideo indicat auxilium frigidũ vt tria: verùm gradus ipsius affectus non innotescit,nisi locus affect9 cognoscatur.Quare Galen9 loci affecti cognitionẽ l.c. necessariam esse existimauit, neq; etiam docuit ibi Galenus, modum agendi desumi ex loco affecto; sed voluit locum affectum significare indicans, quod facilè vel difficulter patitur, à quo desumitur modus agendi.

di, v. g. ſi os ventriculi afficiatur inflammatione, & indicentur auxilia frigida; locus affectus ſignificat inflammationem, quæ difficulter patitur à frigidis; quia hæc adhibita in ſubſtantia liquida non adhærent, ſed ad ventriculi fundum deſcendunt. Idcirco prædicti loci inflammatio indiget frigidis in craſsa ſubſtantia. Eſt igitur cognoſcendus locus affectus, ſed cognoſcere oportet indicans, quod vario in loco reperitur: Cùmque hoc indicans ineſſe poſsit loco per eſſentiam & conſenſum, Galenus neceſsitatem cognitionis locorum affectorum animaduertens, pollicetur 1.c. 1. de loc. aff. ſe tractaturum eſſe ſigna indicantis, inhærentis vel per eſſentiam vel per conſenſum. Neceſſarium eſt cognoſcere indicantia inhærentia per eſſentiam; quoniam ad hæc potiſsimum diriguntur remedia. Hæc diſtingvuntur ab indicationibus, qnæ loco affecto per conſenſum inſunt; ſiquidem hæc, etſi ſui ablationem vel remotionem deſiderent, nihilominus tamen ad aliorum ablationem ut plurimum tolluntur, aut ad aliorum conſeruationem conſeruantur; ideoque remediis non indigent. Cùm affectus per eſſentiam utplurimum remedijs indigeat, ad differentiam eorum affectuum, qui Galeno teſte 1. d. loc. aff. 1. non ſunt ex uſu artis, ſed tolluntur ad ablationem cauſæ: idcirco non ſolum oportet cognoſcere locum affectum per eſſentiam, ſed

etiam utrum inficiatur affectu indigente remediis, vel affectu qui tollatur ad ablationem causæ. Ex his quæ determinata sunt videtur colligi posse doctrinam signorum memoratiuorum non esse necessariam, cùm illa ducant in cognitionem præteritorum, quæ neque per essentiam neque per consensum in corpore reperiuntur. Docuimus tamen superius, & colligi potest ex Galeni sententia l. art. med. c. 7. signa memoratiua necessaria esse. Idcirco cum Galeno 1. ad Glauc. 1. statuendum est, signa memoratiua esse necessaria; quoniam deducunt nos in cognitionem affectus, in qua intellectus acquiescit: siquidem cognitis præteritis oportet vt deveniamus in cognitionem præsentium. Neque enim scire possumus, quantum recedat locus affectus à naturali statu, nisi status naturalis, qui præcesſit, fuerit nobis conspicuus. Status autem naturalis qui præcesſit, signis memoratiuis nobis conspicuus redditur. Quare sunt necessaria signa memoratiua præteritorum, demonstratiua præsentium, & prognostica futurorum: quæ quidem omnia signa à Galeno l. art. med. l. c. dicuntur prænunciatiua: Non quia prænunciant omnia futura, sed quia prius nunciare videntur asſidentibus & ægris ea, quæ significant, siue sint præterita, sive præsentia, siue futura, quàm ab asſidentibus & ægris cognoscantur. Constat ex prædictis, necessariam esse cognitionem indicantis inhærentis. Verùm indi-

indicans ipſum non tantum utile eſt, quia indicat ubi agendum: ſed etiam quoniam indicat Quantum, Quomodo & Quando. Idcirco neceſſe eſt cognoſcere indicans, ut his tribus indiget. Si enim neſciretur e.g. febrem ardentem indigere maxima quantitate aquæ, hanc maximam eius quantitatem febri ardenti laboranti non præberemus: niſi conſtaret, vlcus gulæ ſtipticis medicamentis, fluidis ſanari non poſſe; ideoque iiſdem ſub forma conſiſtente indigere: Galenus in ulcere gulæ 4. Meth. 7. non permiſcuiſſet omphacium & alia frigida cum tragacantho. Quare oportet cognoſcere ipſum indicans, quod facilè vel difficulter patitur, atque ut remedio, modo ſub hac, modo ſub illa forma indiget. Inſuper indicans eſt vtile; quoniam indicat quando. Vt autem ſciamus, quando agendum, oportet non ignorare, quod ſit indicans p. n., quod poſsit remoueri, & ſ. n. quod poſsit cuſtodiri. Et quia eadem eſt doctrina oppoſitorum, ſcire quoque oportet, quæ res p. n. non poſsint remoueri, & quæ res naturales non poſsint cuſtodiri. Tanta eſt neceſsitas hujus doctrinæ, vt eius merito diſtinguantur empirici à dogmaticis. Empirici enim quamuis non cognoſcunt affectus ſanari non poſſe, aut ſanitatem cuſtodiri: remediis tamen, vt affectus p. n. tollant, & ſanitatem cuſtodiant, utuntur. Dogmatici vero cognitis affectibus inſanabilibus, & ſanitate quæ conſeruari non poteſt; affectus in

ſanabiles & ſanitatem, quæ cuſtodiri non poteſt, prognoſticis ſolis relinquunt, quemadmodum docuit Galenus 3. Meth. 1. Cum morbi ſanabiles alij perfecta criſi ſanentur, alii vero ſine criſi perfecta, & horum alii vel per coctionem, vel præcedente imperfecta criſi, terminentur: idcirco oritur neceſsitas doctrinæ de ſignis perfectæ & imperfectæ criſis; de ſignis coctionis: & quoniam contrariorum eſt eadem doctrina, ideo ſigna cruditatis ſunt quoque neceſſaria. Hæc omnia ſigna, ſiue ſint ſalutis, ſiue mortis, ſiue cruditatis, ſive coctionis, ſiue critica; quoniam non ſtatim morbo ſuperveniente invadunt, ſed aliquantò pòſt tempore ſe produnt: idcirco mox apparentia, & ſupervenientia appellari ſolent. Cùmq; indicans quando agendum, vel in principio, vel augmento, vel in ſtatu, vel in declinatione agendum eſſe ſignificet: idcirco ſigna tradere oportet partium ac temporum rerum p. n. Et quamuis res p. n. in partes diuidantur, nempe in principium, augmentum, ſtatum & declinationem: Res tamen naturales, veluti eſt ſanitas, in partes huiusmodi diuidi non poſſunt. Idcirco ſigna partium rerum naturalium adduci non debent. Quod autem res p. n. in prædictas partes diuidantur, non autem res naturales; rationem eam eſſe exiſtimo, quòd non in omni tempore rerum p. n. ſit agendum, ſed aliquando tantùm iuxta ſententiam Hippocratis: In princi-

piis

piis morborum, si quid videtur movendum, move. Ideo medici res p. n. in suas partes seu tempora diuidere coacti fuerunt: Quocunque verò tempore sanitatis eiusdem custodiam aggredi licet. Idcirco sanitas, resque aliæ secundum naturam minimè in partes seu tempora diuidi debuerunt. Iam constat, methodum semioticam esse cognitionem omnium indicantium. Verùm cùm indicatio cognoscatur in hac methodo, & in parte medicinæ pathologica & physiologica: addere oportet particulam in definitione huius methodi, qua ab omni parte alia superiori medicinæ hæc methodus distinguatur. Idcirco dicimus hanc methodum esse cognitionem indicantium ex signis. Quid autem per signa intelligatur, iam declarare oportet. Nulli dubium est, medicos per signa intelligere omnia evidentia, quæ rem occultam patefaciunt. Ideoq; Hippocrates in princ. l. 1. de offic. med. signa cognitu facilia esse statuit. Et paulò pòst, eadem sensui tactus, aut visus, aut alteri facultati cognoscenti evidentia esse, inquit. Signum autem, siue nota, siue indicium, siue connotans, siue indicans dicatur, nihil interest. Sufficit nunc in præsentia scire, nos loqui, non de signo cuiusq; signati, sed indicantis methodi curatricis. Præterea notandum est, latius hîc nomen signi capi, quàm capiatur in logicis. Illi enim effectus signa tantùm esse docent, dicentes, dari demõstrationes ab effectu,

Signa.

Nomen signi latius hîc capitur quàm in Logica.

seu à signo ad causam. Nos quicquid potest eorum, quæ indicant in methodo curatrice significare, nomine signi ponimus. Et hoc modo causa sæpe accipit rationem signi, & ideo ex aëre calefaciente, cibis calidis, exercitio valido & aliis eiusmodi in cognitionem ardentis febris devenire consuevimus. Propterea non admodum commendo Fernelium, qui 1. lib. de. sympt. c. 7. signum definiens, id esse, inquit, sensibus nostris evidens, quod aliquod occultum comitatur. Sic enim causa non potest esse signum. Nam tametsi aliud significet: non tamen illud comitatur: neque etiam essentialiter inhærens homini esset signum; cùm dentur essentialiter inhærentia, quæ tamen aliud non comitantur, veluti est febris hectica, ephemera, & ejusmodi alij morbi, qui, cum sint in facto esse, carent causa efficiente. Et quamvis Gal. 5. de loc. aff. ult. post medium capitis, dicat: Quicquid ab alio tanquam à causa, prodit, id illius esse signum: non tamen statuit, hoc tantùm esse signum, quod nempe veluti effectus ab aliqua causa proficiscitur, siquidem, vt etiam patebit postea, lib. art. med. c. 8. inter signa essentialiter inhærentia & causas ipsas enumerat. Illud etiam est notandum in præsentia, signum ab indicio non distingui; quamuis Galenus 1. progn. 39, ex sententia antiquorum, affirmet, quòd signum de signo certo dici mereatur; indicium verò pro signo incerto sæpe accipiatur. Nos enim per signum

Definitionem signi Fernelianā arguit.

N. Signum hoc loco ab indicio non distinguitur.

ſignum quodcunque intelligimus. Signorum autem fontes ſeu genera, quibus demonſtrantur indicantia methodi curatricis, à nobis ſunt inveſtiganda. Cum autem natura eius, quod ſignificatur, ſæpe oſtendat, qualisnam ſit ipſa res, cujus cognitio quæritur; idcirco primus fons ſignorum à natura rei ſignatæ deſumitur; quam quidem naturam Galenus l. art. med. 8. eſſentialiter inhærens nuncupauit. Et quoniam effectus rem, à qua procedunt, demonſtrant; idcirco ſecundus fons ſignorum ab effectu deſumitur. Et cum cauſæ, in effectus, quem pariunt, cognitionem ſæpe inducant: Idcirco tertius fons ſignorum deſumitur ab ipſis cauſis. Capiuntur quoque ſigna à ſimili. Et quoniam eadem eſt demonſtratio oppoſitorum, ideo quoque à diſsimili ſigna deſumi debent. Ideo non eſt mirum, ſi Galenus l. de off. med. hæc ſigna à ſimili & diſsimili propoſuerit. Inſuper ut hæc ſignorum genera evidentia fiant ſciendum; nos per naturam indicantis, intelligere naturam cujuſque rei naturalis, & p. n. indicantis. Nam non ſolùm morbi, ſed etiam cauſæ & ſymptomatis indicantis cognitio quæritur, & ex eorum natura quandoque habetur. Intelligimus quoque naturam optimæ conſtitutionis, cauſarum & affectuum eiuſdem. Per effectus verò intelligimus omnes effectus, ſiue ſint cauſarum morbi vel ſanitatis. Et ſi ſint effectus morbi, ſymptomata nuncupantur, ad differen-

Fontes ſignorum.

1. Fons.

2. Fons.

3. Fons.

4. Fons.

Natura indicantis.

5. Fons

tiam effectuum ſanitatis, qui ſolent accidentia appellari, quemadmodum docet l. art. med. c. 8. Intelligimus itaque omnia accidentia per effectum, & omnia ſymptomata, ſiue hæc ſint qualitates mutatæ, ſiuæ læſæ operationes, vel exeuntia, aut detenta: ſiue hæc ſymptomata ex neceſsitate ſequantur morbum, quæ pathognomonica dicuntur, ſiue non neceſſariò conſequantur, ſæpiusque vel raro vel æqualiter morbo ſuperveniant. Hæc enim omnia, teſte Gal. de conſtit. art. med. c. 15. morbum ipſum ſignificant. Idcirco idam Gal. c. 8. l. art. med. ſermonem habens de ſignis optimæ conſtitutionis, ſigna ab eſſentialiter inhærentibus & neceſſariò conſequentibus optimam couſtitutionem propoſuit. Galenus d. l. proponens ſigna optimæ conſtitutionis ab eſſentialiter inhærentibus & neceſſario conſequentibus mancus atque diminutus videtur, quòd taceat ſigna à cauſis deſumpta. Hoc ideo animaduertens Galenus in medio capitis, corpora ſalubria ab inſalubribus diſtingvens, inquit, hæc non adeo morbificis cauſis reſiſtere, ut ſalubria; & propterea ſigna à cauſis deſumpta adducit. Et in fine c. 12. ſignum conſtitutionis cerebri ab extrinſecus occurrentibus ſeu cauſis capit. Per cauſas ſignificantes intelligimus omnes cauſas, ſive ſint internæ, ſiue externæ, ſiue juuantes, ſiue lædentes, ſiue efficientes, aut conſeruantes, ſiue per ſe ſint cauſæ, ſiue ex accidenti. Do exemplum cauſæ, quæ ex accidenti concurrit.

Cauſæ ſignificantes.

rit. Si ulcere intestiua crassa afficiantur: situs eorum est causa, vt ulcus eorum per clysteres ano injectos sanetur. Hic itaq; situs est causa, vt vlcus indicans patiatur, vt remoueatur à clysteribus. Quare & situs significat indicans, à quo capitur ubi agendum. Præter signa à causis, capiuntur quoque signa à similibus, per quæ quidem signa intelligimus vel corpus, quod alteri corpori vel sibiipsi comparatur: vel partem, quæ alteri parti, vel sibiipsi comparari potest; quemadmodum clarißimè hæc omnia infrà demonstrabuntur. Iam constat, quid per signa sit intelligendum; & semioticam methodum esse cognitionem indicantium ex signis: modò causa efficiens & finalis huius methodi est tradenda. Dicimus igitur; hanc methodum inventam esse à dogmaticis. Cùm enim hæc methodus sit cognitio seu opus facultatis cognoscentis: idcirco Galenus, ex sententia Hippocratis comm. 4. l. de off. med; statuit, omnes artes sensu & mente inventas esse: quamuis confert quoque memoria non ad indicationem, sed ad retentionem eorum, quæ à facultate diiudicante inventa sunt. Idcirco ibi quoq; Galenus inquit, se demonstrasse, in libris de curatione, tres esse potentias, quibus ad constituendas artes homines utuntur; mentem nempe, sensum, & memoriam. Idcirco Hippocrates, postquam dixisset, similia & dissimilia cognosci ex facilimis quibuscũq;, & quo-

Situs significans indicans.

Similia significant.

Causa efficiens huius methodi.

quomodocunq; cognitis, declarat postea, quid per hæc intelligere oporteat, atque in tex. 2. in medium adducit sensibilia propria, in secundo, communia, & ea, quæ mente percipiuntur. His itaque signis cognitu facilimis, & his duabus facultatibus dijudicantibus, sensu nempe & mente, ac memoratrice quoque facultate invenerunt dogmatici methodum hanc semioticam. Idem tamen Hippocrates alias facultates quibus hæc pars medicinæ inventa sit, proponere videtur, dum subdit in 4 text. quæ item de omnibus quibus cognoscimus, intelligi possunt: quasi, præter mentem & sensum; alias facultates dari, Hippocrates existimauerit. Propterea Galenus animadvertens hæc verba addidisse Hippocratem inquit propter cavillatores, qui, præter sensum & mentem, alias facultates dari existimarunt; cùm tamen ex Hippocratis sententia cæteræ facultates, præter sensum & mentem, surdæ & cæcæ sunt, seu cognitione caretant. Ex hac igitur Galeni autoritate vos obiter colligere potestis, eos esse in errore, qui facultati memoratrici cognitionem tribuere ausi sunt. Iam constat, quibus facultatibus dogmatici partem hanc semioticam investigarint. Constat quoque; quomodo dogmatici ab empiricis discrepent. Empirici enim, spreta cognitione indicantium, ex sola syndrome signorum ad inventionem remediorum proficiscuntur; vt ex symdrome plethorica ad venæ sectionem: do-

gmatici

gmatici vero, antequam ad remedia descendant, cognitione rerum ex facilimis & quomodocunque cognitis ipsorum indicantium hauriunt. Distinguuntur quoque dogmatici à methodicis. Hi enim solùm raritatis & densitatis quæsiverunt cognitionem, atq; ab his veluti effectibus ad remediorum inventionem progressi sunt: Dogmatici vero omnium indicantium similium & dissimilium necessariam esse cognitionem putaverunt. Vt autem magis perspicua reddantur, quæ de causa efficiente huius methodi semioticæ dici possunt, quibus instrumentis in hac methodo utendum sit, declarare oportet. Dicimus itaq;, huic methodo potissimum convenire demonstrationem Quia, ab effectu. Cùmque hæc possit fieri signis propriis atque inseparabilibus, atque ex communibus: dicimus, ex utriusque generis signis demonstrationem procedere. Nam si e. g. ex dolore pungitiuo lateris thoracis, febre continua, tussi, difficultate respirationis demonstretur pleuritis; fiet demonstratio ex signis propriis & inseparabilibus, quæ cum morbo invadunt & simul desinunt; & proinde comitantia & simul apparentia nuncupantur. Si vero demonstretur pleurisis, quòd sit dolor ad jugulum vel ad alias pertingens, & quia in latus ægrum decubitus facilior sit, quàm in sanum: demonstratio quidem non fiet ex signis propriis, sed ex communibus acidentibus, quæ aliâs cum morbo invadunt,

Instrumēta huius methodi.

dunt,

dunt, aliâs superueniunt, aliâs neq; omninò adsunt, & proinde multorum communia existunt. veluti etiam si ex capitis dolore, qui febri non semper adsistit, febris demonstretur: demonstratio fiet per signa communia, & per demonstrationem à posteriori. Methodus quoque hæc inventa est demonstratione à causis remotis; veluti si v. g. ex vehementi exercitio, usu ciborum admodum calidorum, & aliis causis extrinsecis calefacientibus, inesse homini febrem ardentem demonstretur. Habet quoq; locum demostratio ex causa conjuncta; quemadmodum si ex bilioso humore putrescente in venis magnis febris ardens demonstretur: ex causa enim coniuncta affectus talis demonstratio potissimum consurgit. quemadmodum quoq; ex natura seu formali causa affectus eadem demonstratio contingit; vt si ex fervore insigni totius corporis febris ardens, ex suaui, synochus sine putredine; ex fumoso, febris pituitosa demonstretur. Habet quoq; locum argumentatio à simili seu exemplo; quæ quidem analogismus noncupatur. Neq; enim tantùm analogismus à natura juuantis ad similem naturam procedit in parte curatrice: sed ab effectu ad effectum in parte semiotica. Præter instrumenta præcipua hujus methodi semioticæ dantur quoq; duo eidem methodo semioticæ deseruientia, quæ potius instrumenta instrutorum huius methodi, quàm vera methodi instrumenta dici debent. Sunt autem hæc duo, di-

Methodo huic duo deseruientia instrumenta.

uiſio & Ordo. Ideo Plato in Philebo, teſte Gal. 9 de plac. 5 & 6., dicit, ea, quæ diuiſione inveniuntur, quæ ad cognitionem ſimilis & diſsimilis ſpectant, adiuncta eſſe, quaſi voluerit Plato, diuiſionem non quidem cognitionem facere ſimilis & diſsimilis, ſed adiunctam eſſe his methodis, quæ cognitionem tradunt ſimilis & diſsimilis. Quomodo autem diuiſio adiuncta dicatur prædictis methodis, patebit in progreſſu. Ordo vero, qui ſervandus eſt in hac methodo, eſt ab uniuerſali ad minus vniuerſale. Hæc de cauſa efficiente & inſtrumentali methodi ſemioticæ dicta ſint: modò finalis cauſa eiuſdem methodi in medium eſt adducenda. Dicimus itaq; inventã eſſe hanc methodum gratia curationis: Idcirco Galenus 1 de off. med. comm. 1. eam partem, quæ ad indicia ſpectat, inquit, tractari, neceſſarium eſt, antequã partem, quæ curat, aggrediamur. Et 1. de artic. 31. idem Galenus inquit. Nemo poteſt affectus p. n. curare priuſquam eos teneat; quod quidem parte de ſignis cõſequimur. Iam quoq; colligitur definitio huius methodi. Eſt enim cognitio omniũ indicantium methodi curatricis, à dogmaticis per propria inſtrumenta inuenta, gratia curationis. Modò ex hac definitione colligere licet methodi differentias. Nam ſi conſideretur hæc methodus, quatenus eſt cognitio indicantium, vel erit cognitio cõmuniũ vel propriorũ: ex cõmuni enim & proprio, ut teſtatur Gal. 3. in 5. Epid. in princ., omnes artes cõſtituũtur. Verûm ſi hęc methodꝰ ſit cognitio propriorũ indicãtium, certior eſt,

Diuiſio.

Ordo.

Finalis cauſa huius methodi.

Definitio methodi ſemioticæ.

Differentiæ methodi ſemioticæ.

est, quàm si sit communium. Idcirco ex Ga-
leni l. c. colligitur, hujus methodi has duas da-
ri differentias, inter se secundum magis & mi-
nùs diuersas, prout diximus, methodum se-
mioticam aliam certiorem esse, aliam verò mi-
nus certam. Galenus enim has duas considerati-
ones potestate unum & idem esse affirmat. De
propriis; inquam, & communibus speculari,
non tantùm est discernere, an similia & dissi-
milia sunt ea, quæ conferuntur: sed etiam ter-
tiò, quid idem & quid diuersum sit in rebus,
considerare: Quæ quidem sententia fuit Gal. 9.
de plac. 5. Pro diuersitate quoque indicantium
methodus datur diversa semiotica. Et quia in-
dicantia alia sunt contraria, nonnulla sunt simi-
lia: idcirco dabitur methodus cognoscendi in-
dicantia similia, & methodus, quæ est cognitio
contrariorum. Et quia docui in methodo
curatrice, indicantia similia à Galeno vitalia
nuncupari; idcirco vna & eadem methodus est,
qua cognoscitur vitale, cum methodo, qua co-
gnoscitur indicans simile. Et quoniam indi-
cantia contraria, vt etiam exactè docui in me-
thodo curatrice, vel sunt curativa, vel præser-
vatia: idcirco dabitur methodus cognoscendi
indicans præseruatuum, & methodus qua co-
gnoscitur curativum. Quodcunque autem in-
dicans, siue sit simile, siue contrarium, debet
cognosci, vt agit in corpus, vt corpori inhæret
vt agit in materiam remedii patitur ab ea-
dem.

dem, & vt præsens est. Idcirco pro diuersitate, qua indicans cognosci debet, variæ quoque ortum ducunt differentiæ methodi semioticæ: Cùmque methodus semiotica ortum ducat ex signis per propria instrumenta, ut audiuistis in definitione; ideo pro diuersitate signorum, & pro diuersitate instrumentorum, quibus assequimur methodum semioticam, variæ quoque ortum ducunt huius methodi differentiæ. Namque alia methodus semiotica dicetur, quæ ortum trahit ex signis, quæ quidem signa sunt causæ: alia erit methodus, quæ ortum ducit ab essentialiter inhærentibus: quædam dabitur methodus ortum ducens ab effectibus; & hæc erit varia, prout varii sunt effectus. Et horum alii sunt proprii & inseparabiles, quidam vero communes. Et hæ omnes differentiæ methodi semioticæ distinguuntur à methodo semiotica quæ ortum trahit ex simili & dissimili. Cùmq; signorum alia sint memoratiua, quædam demonstratiua, nonnulla prognostica; propterea methodus semiotica alia ex signis memoratiuis, quædam ex demonstratiuis, aliqua verò ex prognosticis ortum ducet. Pro diuersitate facultatis cognoscentis, in qua fundatur methodus semiotica, diuersæ quoq; eius differentiæ ortum ducunt. Aliquando enim sensu tactus cognoscitur affectus, veluti febris ardens ex calore mordaci: aliquando indicans cognoscitur gustu, vt flaua bilis cognoscitur sapore: quandoq; aliæ

habent locum facultates cognoſcentes, & præter eas memoratiua quandoque facultas ad methodum ſemioticam conſtituendam concurrit. Et ideo pro diuerſitate facultatis, diverſæ quoque methodi ſemioticæ tradi poſsunt. Illa enim pars methodi, quæ fundatur in memoratrice facultate, quamuis vnâ cum cæteris partibus huius methodi nomen prædictionis accipiat: propriè tamen propter facultatem, in qua fundatur, pars de ſignis memoratiuis dici debet. Pro diuerſitate quoque inſtrumentorum, quibus comparatur hæc methodus, variæ eius differentiæ ortum ducunt: Et quia eas colligere, cuilibet facilimum eſt: idcirco eas conſultò prætermittere decreui. A cauſa finali non capiuntur differentiæ huius methodi; quoniam vnius artis vnicus eſt finis, & conſequenter, cùm hic in plures non diuidatur, ex fine methodi ſemioticæ differentiæ non colliguntur. Poſtquam de eſſentia & differentiis huius methodi dictum eſt, nunc tertiò de eo, quod principaliter eſt explicandum, mentio eſt habenda. De omnibus enim his, quæ in methodo hac ſignificantur, eſt agendum: Cùmque hæc ſint contraria & ſimilia, primò de cognitione ſimilium ſermo habebitur, ſeruabimusquè ordinem in methodo curatrice à nobis obſeruatum. Ibi enim prius de cognitione iuuantium contrariorum, pòſt de cognitione ſimi-
mi-

milium sermo habitus est. Itaque hîc pariter sermo fiet prius de cognitione contrariorum indicantium: deinde de cognitione similium. Ratio autem huius ordinis ea est, quòd quemadmodum in methodo curatrice, Galeno teste 9. meth. 9. 11. meth. 12. & 4. meth. 3. principaliter medicus rei p. n. sublationem pro scopo accipit, & in huius gratiam virtutis quoque custodiam tractat; Quod etiam clarissimè idem Galenus docuit 9. meth. 11; Ideoq; in methodo curatrice hoc modo progrediendum est à cognitione lædentis rei p. n. ad cognitionem iuuantis rei naturalis costodientis: Ita quoque in hac methodo semiotica progrediendum est à cognitione rerum p. n. ad cognitionem naturalium. Ita enim hæc methodus curatrici inseruit, & eodem ipsa tractari debet ordine, quo etiam curatrix tractari solet. Nos itaque prius de cognitione rerum p. n. deinde de cognitione similium sermonem habebimus. Et quemadmodum ille est optimus medicus, &c, quantum humanis permittitur viribus, Galeno teste 1. ad Glauc. 1., in medendo non errabit, qui, divisis omnibus rebus p. n. & secundùm naturam, ab his sumpserit indicationes; ita ille verè diuinus & medicinæ inuentoribus similis erit, omniaque ad medicinam attinentia, prædicere poterit, qui diuisis omnibus rebus, p. n. & s. n., easdem omnes methodo semiotica inuestigare, &, quantum hu-

Ratio ordinis.

manis permittitur viribus, cognoſcere conabitur. Et quemadmodum ille medicus malè eligit indicationes, qui aut diminutam aut deprauatam indicantium efficit diuiſionem: ita ille methodo ſemiotica decipietur, qui,aut diminutè, aut deprauatè, res p. n. & ſ. n. diuiſerit; ſiquidem aut diminutè aut deprauatè earundem rerum aſſequetur cognitionem. Fit diminuta diuiſio, quotieſcunque perſiſtimus in primis generibus, ſeu differentiis valde genericis, quæ ex diuiſione oriuntur; ut e. g. ſi dividamus naturam adæquatam hujus methodi quæ eſt indicans methodi curatricis: quod indicans primò dividitur in res p. n. &ſ.n.,ſed hæc diuiſio eſt diminuta. Pariter ſi ulterius diuidamus res p. n. indicantes in morbum & cauſam: hæc diuiſio pariter erit diminuta; ideoque, ſi facta hac duplici diuiſione, quæramus deinde in methodo ſemiotica cognitionem rerum p. n. & naturalium in genere, aut ſi quæramus cognitionem morbi in genere, vel cauſarum indicantium: aſſequemur quidem methodi ſemioticæ principium,non autem totam aut magnam eius partem. Nam quemadmodum cognitio remotionis, quæ quidem habetur ex morbo in genere, aut ex omni re p. n., teſte Gal. 3. Meth. 1. eſt veluti initium methodi curatricis, non autem tota methodus, aut magna eius pars: ità cognitio rerum p. n. in genere aut morbi vel cauſarum p. n., non eſt tota methodus ſemiotica; neq;

neq; eius magna pars, ſed hujus methodi tantùm initium. Non itaque oportet conſiſtere in cognitione indicantis generici vel ſubalterni: ſed ulterius, diuiſione habita omnium rerum naturalium & præternaturalium, deſcendere oportet ad ultimas ſpecies & gradus indicantium omnium. Et tali modo medicus totam methodum ſemioticam aſſequitur. Quocirca Plato in Philebo & Phædro, methodum diuiſam ad artium conſtitutionem maximè neceſſariam eſſe inquit; atque per eam progrediendum eſſe à maximè generali, ad ea, quæ amplius ſectionem non admittunt. Fit autem deprauata diuiſio, quando non procedimus per differentias eſſentiales, ſeu à forma rei diuiſæ aſſumptas, ſed diuiſio fiat, vel per differentias accidentales, aut à cauſa efficiente. v. g. ſi quæramus nos cognitionem indicantis curatiui, morbi ſcilicet, & ſi dividentes morbum dicamus, alium à bile, alium, à pituita, alium ab alio humore productum eſſe: hæc diuiſio eſt praua; quia inducit nos in indicans præſervatiuum, in ipſam cauſam, cuius tamen in præſentia non quæritur cognitio. Et quemadmodum Galenus, 9. Meth. 14., ſermonem habens de iuuantibus curatoriis, notat morbum per cauſas diuidendum non eſſe; quia dum diuiditur per cauſas, non amplius permanet in cognitione iuuantium curatiuorum; cùm ex cauſis non capiatur indicatum curatiuum: ita in præſenti methodo non oportet diuidere mor-

bum per causam; quoniam quærentes cognitionem indicantis curatiui, ne diuertentes incidamus in quæsitum cognitionis indicantis præseruatiui, nunquam oportet diuidere morbum per differentias accidentales. Quia quemadmodum methodo curatrice ex differentiis accidentalibus morbi non capitur utilis indicatio: ita in hac methodo semiotica cognitio differentiarum accidentalium morbi, aut alterius rei divisæ non est cognitio indicantis; cum tamen materia adæquata methodi semioticæ sint omnes res p. n. & s. n. sub ratione indicantis. Tentemus igitur nos, omnium indicantium neque diminutam, neque deprauatam, sed, quantum humanis permittitur viribus, absolutam efficere divisionem. Idcirco omne indicans aut est res p. n. aut naturalis. Facilime res p. n. in genere cognosci potest. Vnde quamuis dixerit Hippocrates 1. de officio. med. in princ. res præternaturales & secundum naturam maximis & facilimis signis agnoscendas esse: dicimus tamen res p. n. & naturales in genere facilimis quidem signis notas fieri, non autem maximis; eò quod signa rerum p. n. & naturalium in genere deducunt nos in cognitionem quandam, in qua non acquiescit intellectus. Cognitis enim rebus his in genere, ulterius quærimus cognitionem rerum minus vniuersalium, donec in cognitione propriarum

Diuisio omnium indicātium.

intel-

intellectus quiescat. Vnde non est mirum, si Galenus doctrinam communium 1. Epidem. in princ. nuncupauerit minùs certam cognitione propriorum. Quæramus itaque ex facilimis cognitionem contrariorum. Cognoscuntur autem hæc, quia præcesserunt, vel etiam adsunt, causæ extrinsecus occurrentes contrariæ, ex essentialiter inhærentibus, quoniam etiam rei p. n. hoc inest essentialiter, ut agat cum nocumento. Nam si fuerit affectus simplex p. n., non autem cum nocumento agens, vt docui methodo curatrice, ex Galeni sententia lib. ad Thrasyb. c. 25. & 26. & alibi, non habet rationem indicantis. Cognoscitur quoq; res p. n. ex effectu; quoniam ea omnia excitat ad sui fugam. Cùm igitur aliqui conqueruntur de aliqua re, eiusq; ablationem desiderant, & adversus ea quærunt auxilia: iam significatur, eam rem esse p.n. Cognoscitur quoq; omnis res p. n. ex dissimilitudine. Cum enim p. n. res sint valde dissimiles naturalibus, & aliquis afficiatur huiusmod rebus naturalibus dissimilibus: significatur, eum rebus p. n. correptum esse. Galenus enim 8. de compos. medic. s. l. 7. dixit: Cùm res inter se multùm distantes apparent, jam contrariorum contingit cognitio. Postquam constat inesse corpori rem p. n. facienda est deinde eiusdem rei diuisio. Diuiditur autem res p. n.

Diuisio rerum p. n. indicans, in morbum & causam: non enim in symptomata diuidi potest; quoniam ea; etsi sint p. n., non tamen sunt indicantia; & quamuis indicant non ratione symptomatum, sed ratione causarum indicant. Idcirco sufficit, vt res p. n. indicantes dividantur in morbum & causam: qua, facta divisione methodo semiotica demostratiua inuestigandum est, vtrum patiens morbo vel causa p. n. detineatur. Antequam autem hoc constet, vos notare cupio, cur dixerit Plato in Philebo, referente Gal. de plac. 6. viam divisiuam adiunctam esse his methodis, quibus cognitio accipitur similium & dissimilium. Rationem enim eam esse existimo, quod, ut iam constat, facta diuisione, statim resolutiua methodo, compositiua, & argumento à simili probatur aliquod membrum diuisionis in corpore reperiri. His enim methodis hactenus devenire potuimus in cognitionem rerum p, n. in genere: & propterea diuisio non est præcipuum instrumentum ducens in cognitionem similis & dissimilis; sed instrumentum aliis methodis inseruiens, seu, ut dixit Plato, aliis methodis annexum. Agamus autem nos in præsentia de cognitione morbi & causæ; priusque de cognitione illius, quàm huius sermo est habendus. Nam quemadmodum in methodo curatrice, ut docui, principaliter quæritur morborum ablatio, & in huius gratiam secundo loco causæ morbi habentis causam quæritur remotio: ita in præsenti methodo

præ-

præcipuus eſt ſcopus morborum cognitio; quæ ideo prius eſt tractanda: ſecundarius vero ſcopus eſt cognitio cauſæ morborum; quæ propterea ſecundo loco tractari debet. Dum ergo conſtat, res p. n. in morbum & cauſam diuidendas eſſe; deinde methodo ſemiotica morbi cognitio eſt inveſtiganda. Cognoſcitur morbus in genere, quia præceſsit vel adeſt cauſa morbifica, quoniam inhæret eſſentialiter corpori ægrotanti conſtituto p. n. Qualis quidem ſi fuerit externarum partium, cognitu facilima exiſtit, tanquam cauſa, quæ ſenſibus ſubiiciatur: ſi interna, aliis ſignis eget; vt inueſtigetur, agnoſciturque morbus ex effectibus; qui quidem propriè ſymptomata nuncupantur. Nam quemadmodum effectus ſanitatis propriè appellantur accidentia, Galeno teſte l. art. med. 8. ita effectus morbi propriè ſymptomata nuncupantur; quemadmodum etiam idem Galenus docet 1. meth. vlt. Ex ſymptomatis igitur morbus cognoſcitur. Inter alia autem ſymptomata eſt omnis operario ſenſibiliter læſa; dummodo læſa non ſit propter externum errorem. Oportet enim ut læſa ſit ſenſibiliter. Nam operatio inſenſibiliter læſa potius conſtitutionem neutri corporis, & inſalubris, quàm ægritudinem ſignificat: quemadmodum docet Gal. l. art. med. 8. Requiritur etiam, vt hæc operatio non ſit læſa propter externum errorem. Nam operatio ſenſibiliter læſa propter errorem exter[illegible]

De cognitione morbi.

nullo modo ſignificat morbum g. e. ſi quis poſt uſum multorum & prauorum ciborum, aut propter immodicas vigilias incideret in coctionem ventriculi diminutam: ex hac coctione non ſignificabitur morbus; quoniam, Gal. teſte 3. de ſympt. cauſ. 1. hæc operatio proficiſcitur ab errore externo: imò, quod magis eſt, hæc operatio ſenſibiliter læſa ob errorem externum, neq; ſymptoma dici debet; cùm omne ſymptoma, quemadmodum ſuperius dicui, ſequatur morbum, hæc vero ab externo prodeat errore. Verum occurrit dubium, quomodo Galenus, qui ubique profitetur, omne ſymptoma ſequi morbum, coctionem ventriculi læſam, ob externum errorem, ſine interventu morbi, ſymptoma appellet 3. de ſympt. cauſ. 1. Neque eſt, vt dicamus hanc operationem læſam ſymptoma communiter dici, prout nomen ſymptomatis ſe extendit ad omne genus rei p. n. Omni enim rei p. n. quæ communiter ſymptoma appellatur, teſte Gal. de differ. ſympt. 1. competit hoc, vt habeat quandam permanentiam; quæ tamen non competit læſæ operationi propter errorem externum: cùm hæc potius paſsio, quæ ab externo errore pendeat, velut vmbra à corpore, quàm res facta, & permanentiam habens, dici debeat. Accedit quoque, Galenum in princ. c. 2. l. de differ. morb., profiteri, ſe eſſe

Dubium.

locu-

locuturū deprop riè de dictis ſymptomatis. Hoc dubium vellem vt ab aliis ſolueretur. Dicam tamen, quid ipſe ſentiam. Volens Galenus 3. de ſympt. cauſ. loqui de cauſis cuiuſq; ſymptomatis in coctione læſa: communitate ſermonis ductus, etiam cauſas coctionis læſæ, quæ non eſt ſymptoma, inveſtigauit, læſamq; coctionem ob externum errorem ſymptoma appellauit: propterea, quòd quandam habeat ſimilitudinem cum aliis operationibus læſis, quæ verè ſymptomata dicuntur. Et illa operatio, non ſymptoma, ſed paſsio aut accidens dici debet: Eſt enim operatio læſa quæ in ſano corpore reperitur. Sed quidquid ſit, de hac dubitatione, quæ non ſpectat ad præſentem methodum, ſed potius ad pathologicam, dicimus, ex operationibus læſis, ortum non ducentibus ab externo errore, morbum ſignificari. Significatur quoque morbus ex aliis ſymptomatum differentiis, & ex diſsimilitudine. Namque patiens ſtatim ac morbo corripitur â ſeipſo diſsmilis redditur; quòd fiat impotens ad edendas actiones. Sic enim, teſte Gal de differ. morb. 1., ex omnium communi conſenſu conſtat, morbo illos correptos eſſe, qui quidem ad agendum ſunt impotentes. Propterea conſtat, habentes operationes læſis propter externum errorem, non eſſe

Solutio.

mor-

morbo correptos; quoniam neque sunt impotentes ad agendum: sublato enim externo errore, statim consuetas edunt actiones: ablato v. g. vsu multorum & prauorum ciborum, sublatis vigiliis, & ailis eiusmodi, statim celebratur ventriculi coctio naturalis. Posteaquam constat patientem rebus p. n. affectum esse, & morbo detineri, morbus deinde dividendus est, vt appareat, quali, & quanto morbo patiens detineatur, Illud tamen est prius aduertendum, nos non semper esse coactos, probare, patientem rebus p. n., & morbo correptum esse: sed hoc fieri necessum est duntaxat, quando neque res p. n., neque morbus est suapte natura evidens. Nam si constet, patientem morbo correptum esse, & constet quoque, qualisnam hic sit morbus, ut calidus, non est vt tentemus probare, ipsum re p. n. vel morbo detineri. Propterea Galenus 1. in 3. de morb. vulgar. comm. 1. & 1. de progn. 5. dum Hippocrates inquit: in morbis acutis esse considerandum in primis quidem faciem ægri, an valentium, maximè verò suiipsius similis sit: animaduertit, quod si propriam teneamus naturam, & magnitudinem, & colorem, non est, quòd quæramus communem. Quia verò omnium hominum antè non cognoscimus naturam, sed nec opinantes sæpe ad ignotos accersimur, principium cognoscendorum morborum & præsagiendorum à communibus instituimus. Quando ergo cônstat, patientem

Not.

entem re p. n., & non omni, ſed morbo correptum eſſe, niſi conſtet, qualis hic ſit morbus, hoc eſt patefaciendum, & propterea morbi diuiſio in ſimplicem & compoſitum eſt tradenda, & prius cognitio morbi ſimplicis, quàm compoſiti inveſtiganda. Simplex morbus diuiditur in intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutam unitatem. Intemperies dividitur in calidam, frigidam, humidam, & ſiccam. Mala vero compoſitio in morbum in magnitudine, in numero, in ſitu, in annexu, & conformatione. Morbus in magnitudine diuiditur in auctam & diminutam magnitudinem: quemadmodum quoq; morbus in numero in auctam & diminutum numerum diuidi ſolet. Mala verò conformatio in morbum in meatu, cauitate, ſuperficie, & figura diuiditur. Et morbus in meatu eſt multiplex, prout meatus multipliciter afficitur. Itaque datur in eo morbus in anguſtia & apertione. Et morbus in anguſtia eſt vel denſitas, vel abſtructio, vel compreſsio, vel ſubſidentia, vel coaleſcentia. Et morbus in apertione vel eſt in raritate, vel in latitudine. Pariter morbus in ſuperficie diuiditur, prout ſuperficies alia lævis, alia aſpera appellatur. Verùm nõ tantùm morbus diuidendus eſt per differentiam, quib. conſtituitur, qualis ſit morbus, ſed etiam diuidi debet per differentias, quibus patefit, quantus quilibet morbus exſiſtit. Proptera diuiditur morbus calidus in intenſum & remiſ-

Diuiſio morbi.

remissum, seu in magnum & paruum: & quod dicitur de hoc morbo, idem de omni alio est dicendum, ut nempe omnis morbus aut magnus aut paruus exsistat. Hæc diuisio morborum completè traditur à Galeno in lib. de differ. morb., & à nobis declarata est exactissimè in methodo curatrice. Hac tradita divisione morborum inuestigandum est, qualis & quantus sit morbus, quo patiens detineatur: & si constat, qualis sit, sufficit declarare; quantus exsistat. Nam si accedamus ad febricitantem, & cognoscamus, ipsum febre detineri: non licet probare ipsum affectum esse morbo calido, sed demonstrare opus est, quanta caliditate p. n. detineatur. Recurramus itaq; ad fontes à nobis superiùs propositos, inter quos quidem vnus est signorum fons, qui desumitur à causis, & inter causas locum habet aër: propterea declarandum est, quomodo aër demonstret, qualis & quantus morbus exsistat: & potissimum hoc est præstandum, quia Gal. 4. meth. 3. hæc habet. Propterea quo ad eum affectum noscendum, qui omnino tum sensui tum rationi latet, sæpe cogimur de aëre & alia externa causa inquirere. Idcirco opinatur vulgus, hunc quoque sanationis rationem indicare. Aër ergo vnà cum cæteris causis, significat affectum, qui latet; quod etiam docuit Hippocrat. 1. Aphoris. 12. & Gal. in comm. Nam vbi dicit Hippocra-

Aër significat morbos.

pocrates, accesſiones & conſtitutiones morborum denotabunt anni tempora. Galenus habet, non ſolum ex tempeſtatibus anni, ſed ex aëris temperatura, regione, cœli ſtatu, & aliis eiuſmodi conſtitutiones morborum ſignificari. Et ſi eadem eſt doctrina oppoſitorum, atque aëris temperatura naturalem conſtitutionem ſignificat, quemadmodum Galenus docuit 9. met. c 5. dicens: Temperaturam variam eſſe, & ſignificari pro diuerſitate regionis, temperaturæ aëris, cœli ſtatus, & aliorum eiuſmodi: Quare pariter aër non poterit conſtitutiones p. n. ſeu morbos ſignificare? Denotat ergo aër, qualis ſit ipſe morbus. Nam niſi aër agat ex accidenti, vt frigidus calorem concentrando & calefaciendo, ſemper aër eſt aër, ſemper aër morbos ſibi ſimiles producit & ſignificat. Cùm autem aër non ſemper morbos producat, ſed etiam fiant morbi ex errore in victu & temperatura, vt patebit poſtea: ideo Gal. 3. Aphoriſ. 19. dixit: Si ſolus aër morbos efficeret, ſemper morbis aëri ſimilibus detineremur. Propterea aër utplurimum eſt cauſa ſanitatem cuſtodiens: ideoque Galenus dixit 3. Aphoriſ. 18: adoleſcentes vere, pueros in initio æſtatis, ſenes æſtate, hyeme iuuenes optimè degere. Quando igitur aëris temperatura morbos ſibi ſimiles producit, eoſdem etiam ſignificat. Verùm non tantùm temperatura aëris ſignificat qualitatem

Aer qualit: morbi sign:

mor-

morborum, sed etiam quantitatem seu gradum. Aër enim prout magis & minùs calefaciendo morbum producit: ita quoq; maiorem aut minorem morbum calidum significat. Et quoniam aër, v. g. insulæ Cypri est calidissimus: idcirco æstate quoq; non tantùm morbos producit calidissimos, sed etiam quam plurimos Turcas, alteriusque nationis homines interficit. Verùm aër non solum denotat gradum morbi, prout magis & minùs intensè agendo morbum producit: sed etiam quia morbos maiores efficit, quàm si morbi producantur ab alia causa, quæ aër non exsistat. Hocque itâ demonstro. Nam causa, cæteris paribus, quantò diutius agit, tantò magis agit: sed aër diutius agit, morbos sibi similes efficiendo, quàm alia causa: Ergo quoque maiores morbos producit, quàm alia causa; Ac siquidem aër non est in nostra potestate, aërem neque eligere, neque fugere facilè possumus: quin imò vt plurimum præsenti cæli statu & constitutione aëris, quamvis nocua, vti cogimur, quemadmodum Galenus docet 9. meth. 14. Cæteras vero causas, v. g. exercitium, & eiusmodi alias, eligere, aut secundum nostram voluntatem fugere valemus. Cum itaque aër diutiùs agat, quàm aliæ causæ: idcirco morbos quoque vehementiores producit, quà aliæ causæ. Hactenus constat, aërem significare qualitatem & quantitatem affectus: demonstrabitur quoq; inferiùs, aërem significare

Aëris temperatura significat quantitatem morbi.

care

care effectum, qui valde resistit iuuanti, & propterea indiget magna quantitate materiæ iuuantis. Quod dictum est de aëre, idem de cœli statu, de regione, de anni tempore, & aliis eiusmodi est dicendum, quemadmodum colligitur ex Gal. 9. meth. 14. Est enim aër e. g. calidus, calidosque morbos producens & significans; propter anni tempus calidum, calidam regionem, cœli statum & eiusmodi alia. Propterea ob diuersitatem temporis anni 3. Aphoris. Hippocrates varios morbos fieri & significari existimauit. Verùm occurrit dubium, quomodo maiores videantur morbi ab aëre quàm ab alia causa produci, quod tamen suprà determinatis adversatur. Nam si Hippocratis est sententia 1. Aphoris. 34. minùs periclitari eos, quorum morbus congruit tempori anni, quàm quorum non congruit; ergo voluit quoque Hippocrates, minores esse morbos ab aëre, quàm ab alia causa genitos: illi enim congruunt tempori, non autem isti. Propterea Gal. in comm. Dioclem arguit, qui putauerat, febrem ardentem hyberno tempore esse minorem, & faciliùs curari ea, quæ fit in æstate. Pro solutione dicendum esse arbitror, morbum quidem pro maiori aut minori causarum robore magis & minùs vehementem fieri, & causarum robur attendendum esse penes durationem, vel penes intensionem; siquidem causæ, quantò diutiùs agunt, tantò vehementiorem morbum indu-

Dubium.

Solutio.

funt: caufæ quoque quantò magis intenfæ exfi-
ftunt, tantò magis vehementem affectum pari-
unt. Itaq; morbus ab aëre productus vehemen-
tior exfiftit, quàm ab alia caufa genitus: quoni-
am à caufa diutius agente producitur. Morbus
vero ab alia caufa genitus; quoniam producitur
ab agente intenfiûs operante; idcirco validior
quoque exfiftit, quàm morbus qui ab aëre con-
tingit. Sed fi contingat aërem non folùm diu,
fed etiam intensè agere: morbos producit ve-
hementiores, & valde lethales. Huiufmodi mor-
bi fiunt in æftate, & in regionibus calidifsimis
atque frigidifsimis. Quare non eft mirum, fi
frequenter in æftate, & in infula Cypro ob ve-
hementifsimum calorem homines morbis in-
flammatoriis, & lethalibus afficiantur & inter-
ficiantur. Non eft etiam mirum, fi in gelidis
regionibus, veluti in Alpibus, fæpe expertum
fit, morbos frigidos produci vehementifsimos,
& propter nimiam frigiditatem homines con-
gelari. Quod fi aër neque intensè agat, mor-
bos producit non valde vehementes. Huiuf-
modi morbi, ex Galeni fententia 2. Aphorif.
34., funt e. g. febres ardentes, quæ quidem
fiunt temporis calidioris conftitutione, cuius
tamen ad frigus mutatio fubita facta fuerit. V-
traque enim temporis conftitutio bona exfiftit:
prima, tanquam fignum: fignificat enim ab aëre
calidiore non admodum intenfè agente mor-
bum genitum effe: altera vero conftitutio aëris
eft

eſt bona, tanquam cauſa ſolutionis febris ardentis ſcilicet. Propterea concludendum eſt, data æqualitate in vigore cauſarum, morbos productos ab aëre eſſe cæteris intenſiores. Hoc etiam declarat Galenus 9. meth. 14. ubi dicit, aërem fouentem febrem indicare, vt intenſiora fiant remedia febris. Verum aër hoc nõ indicat, niſi quatenus febrem conſeruat, & intendit. Quoniam verò vtplurimum non ſeruatur æqualitas, in vigore, ſed magis efficiax eſt cauſa morbos diſsimiles tempori producens, quàm tempus ſibi ſimiles morbos generans: idcirco dixit Hippocrates, minùs periclitari eos quorũ morbus congruit tempori, quàm quorum non congruit. Neq; enim hyeme, g. e. febris ardens fuiſſet genita, niſi cauſa valde potens temporis contrarietatem ſuperaſſet, & propterea ardentem febrem produxiſſet. Conſtat itaq; hactenus, aërem ſignificare qualitatem & quantitatem morborum. Galenus tamen ſibi manifeſtè contradicere videtur, & ſententiam à nobis propoſitam deſtruere, atq; determinare 9. Meth. 14. & 15. aërem non ſignificare affectum, ſed indicare curationem. Et quamuis apertè dixerit 4. meth. 3., nullam externarum cauſarum indicare, opinariq; vulgus, cauſas externas indicare, quòd ad noſcendum affectum, qui nos latet, ducant: nihilominus, indicationem curationis eo in loco ab affectu capi, exiſtimauit, &, quæ particulariter ſunt agenda, ab aëris temperie, & aliis eiuſmo- *Dubitatio.*

di capienda esse, duxit. Solutio ad hanc difficultatem ex his quæ dicta sunt superiùs, & quæ in methodo curatrice fuêre determinata, facilè colligi potest. Relictis atem omnibus aliis rationibus, quibus vsus sum ad demonstrandum, aërem non indicare, causa hac vna in præsentia utar, iudicio meo, demonstratiua. Sequeretur enim, si aër indicaret curationem, quòd curatio febris hecticæ, & ephemeræ non esset simplex, sed mista ex ablatione morbi & ablatione causæ; quod est tamen contra determinata ubique à Galeno. Patet autem consequentia: quoniam si aër v. g. æstatis febrem hecticam fouens & ephemeram, indicaret, in quantum calidus, sui ablationem & alterationem: Ergo curatio febris hecticæ erit mista ex alteratione, quæ conuenit hecticæ febri, & ablatione, quæ conuenit aëri. Itaque cum aër non indicet curationem, dicendum est cum Galeno 9. meth. 14. 15. aërem esse materiam indicai seu juuantis: quandoque tamen etiam esse materiam nocentis. Si similis sit morbo, habet rationem materiæ nocentis: si contrarius, iuuantis. Docui autem in methodo compon. medicam: id omne iuuans, quod vt simplex non iuuat, & ut mixtum iuuare potest, indicare non sui curationem quia curatio debetur affectui: sed compositionem. Aër enim calidus conseruans febrem est materia juuantis, quæ vt simplex non iuuat, sed vt mixta iuuare debet. Ergo indi-

Demõstratio quod aer non indicet curationem.

indicat sui compositionem. Si ergo determinauit unquam Galenus, aërem indicare: vtique sui compositionem, non autem curationem indicare voluit. Hoc enim expressè, audite quæso, docuit Galenus, 3. meth. 8. ubi hæc verba habet: quoniam resina & pix & asphaltus immodicè sunt calida, nemo vtatur solis ad ulceris curationem, neque nisi cum aliis refrigerantibus commixtis vnum ex omnibus medicamentum fecerit, quod sit temperatum. Voluit itaque Galenus resinam & alia huiusmodi caliditate nocentia, vt mixta, tamen iuuare potentia, sui mixtionem cum contrariis indicare: adeo vt vertatur in medicamentum temperatum compositum, quod quidem iuuet. Subiungit Galenus: Si itaque hæc ita se habent, sicuti profecto se habent, inspicere etiam conueniet & circumdantis nos aëris temperiem, siquidem velut medicamentum quoddam extrinsecus corporibus nostris incidens, ubi medico calore vel frigore sanitatem moratur: sic nuncupauit Galenus aerem veluti quoddam medicamentum quod non juuat; quia sanitatem moratur. Subiungit itaque: Danda est igitur opera, vt medicaméta eius excessui occurrant. Idcirco vult, esse alterandum, & permiscendum cum medicamentis contrariis, vt reddatur materia sanantis. Et quoniam nuncupatur à Galeno quoddam veluti medicamentum, non autem medicamentum non propterea dici debet eius indicationem

non ſpectare ad methodum compoſitionis. Neq; enim hoc verum eſt medicamentum, ſed ſimile medicamento. Medicamentum enim ubique ex Galeni ſententia illud eſt, quod poteſtate agit: Aër verò, cùm actu agat, propriè medicamentum dici non debet, ſed medicamento ſimilis. 9. vero meth. 14. non tantum inquit, aërem nocentem alterandum eſſe cum contrariis, ſed etiam proponit ea, cum quibus permiſceri & alterari debet. Sunt autem hæc germina & flores, frigidæ & humidæ facultatis, quæ per aërem proiecta aërem calidum & ſiccum alterant. Contra ea, quæ determinata ſunt, dubium facient verba Galeni, quæ habentur 9.

Dubium. meth. 14. Dicit enim ibi Galenus noxam aëris Calidi fouentis febrem remediis frigidis intenſis auctiſquè tollendam eſſe: è quibus quidem verbis colligunt aduerſarii, aërem fouentem febrem indicare, vt remedia affectus intendantur & augeantur: cùm tamen omne, quod indicat, ratione ſui indicet, eodem Gal. teſte. 3. Meth. 1. Illa itaque autoritas Galeni facilè ex his quæ dicta ſunt, intelligi poteſt, neq; ab his, qui methodum ſemioticam diligenter non tractant, commodè poteſt explicari: Dicimus itaq; quemadmodum determinatum eſt, aërem conſeruan-

Solutio. tem morbos, cæteris paribus, eos validiores efficere & ſignificare, quam aliæ cauſæ præſtent externæ; & propterea hic aër ſignificat morbum intenſum intenſis quoq; indigentem remediis:

ſigni-

ſignificat etiam morbum, qui valde reſiſtit iuuantium materiis, ſeu qui valde agit in materias iuuantium. Huiuſmodi eſt aër, ob tempus anni, conſtitutionem & regionem calidus, febres ardentes producens, qui etiam ſignificat eas indigere magna quantitate aquæ frigida. Vnde non eſt mirum, ſi in ardente febre frigidæ non tribuatur, niſi fiat febris ardens tempore æſtatis, in conſtitutione & regione aëris calidioris. Nonnulli, qui noſtra ſcripta legentes non intellexerunt, me dixiſſe, ſtatuentem ex ſententia Galeni, dari aërem in labiis ulceris contentum, eiuſquè aggludinationem impedientem & ſui ablationem curatiuam indicantem; & quia putant hanc quoq; eſſe Galeni ſententiam, Galenum conciliare conantur, nobiſq; aduerſari credentes, noſtræ ſententiæ maximè fauent, dum ſtatuunt, hunc aërem non per ſe, ſed ex accidenti curationem indicare. Verum neq; in meis lectionibus, neq; à Galeno dictum invenietis, aërem contineri in labiis vlceris, & vlceris agglutinationem impedire, atq; propterea curatione indigere. Dixi ego quidem: fuiſſe Galeni ſententiam, 4. meth. 1. cauſam omnem externam factam internam, ex accidenti indicare ablationem: Idcirco oleum, pilos, arenam, & eiuſmodi alia, vlceris impedientia agglutinationem, ſui indigere ablationem, vt etiam putauit Galenus lib. art. med. c. 90. Ex his Galeni dictis, vt aliquo modo ſatisfacerem volentibus aërem curatio-

Obiectio.

Solutio.

nem indicare, intuli corollarium hypotheticum, quod tale eſt, vt vos videre poteſtis in cap. de cauſa externa tractationis noſtræ de methodo curatrice. Si itaq; daretur aër, qui, ingreſtus vlcus, vlceris agglutinationem impediret, hic proculdubio curationem indicaret. Hypothetica nihil ponit ineſſe. Ergo in meis ſcriptis non potuerunt inuenire, me dixiſſe, aërem ingredi vlcus & agglutinationem impedire & propterea curationem indicare. Tantò minus hoc Galeno imponere poſſunt; cùm neque Galenus unquam dixerit, neque, dictum hoc à Galeno fuiſſe vnquam ego determinauerim. Quin imò ſoluentes difficultatem id de aëre ſtatuunt, quod nos de omni cauſa externa vlcus ingreſſa determinauimus, videlicet ex accidenti indicare. Et quod nos hypotheticè diximus, ipſi affirmatiuè quoque idem etiam ex Galeni ſententia, proferre audent. Diximus tamen affirmatiuè, aërem peſtilentem, vt videre poteſtis in tractatione mea de venenis, febrem vel hecticam efficientem, atque pulmonem ingreſſum, ſui copia indicare auxilium inſenſibiliter evacuans & ſui ſubſtantia indigere auxilio eradicante, cujus utriuſque auxilii materia eſt arſenicum ſub axillis poſitum. Aër enim peſtilens etſi in corpus ingrediatur, non mutatur tamen, ſed ſuam ſervans naturam, & noſtram in ſui ſubſtantiam convertens, proculdubio indicare poteſt. Sed quicquid ſit de aëre peſtilenti in methodo cura-

curatrice indicante: de eius etiam signis in hac methodo dicere, necesse erit. Nunc deueniamus ad alias causas significantes. Galenus 3. Epidem. comm. 9. etsi profiteatur omnium morborum causas velle adducere sese, diminutus tamen videtur. Nam inquit, morborum proficiscuntur differentiæ ab aëris circumflui temperamento, propter naturam cuiusque & victum, quem sana seruant corpora: adeo quòd tantum tres morborum causas in medium adduxerit: similem quoq; habet sententiam comm. 19. sect. 1. Declarans autem 3. illo Epidem. & in art. med. quid nomine victus sit accipiendum, inquit: victum appello non tantum, qui cibo & potu constat: verum etiam qui omnibus aliis, vt ocio, exercitio, balneo, venere, somno, vigilia, & aliis, eiusmodi, quæ quouis modo in corpore fiunt humano. Cum autem fiant medicationes & manuariæ functiones; videtur quoque sub nomine victus eas comprehendere, aut tanquam diminutus præterire. Neq; putandum est, causas nomine victus comprehensas esse; quoniam Galenus loquitur de victu sanorum: medicatio autem & manuaria functio, Gal. teste de opt: sec: ad Thrasyb. 34. ad ægros solùm spectat. Per victum ergo intelligit victum, quem seruant sani. Quippe constat ex his, quæ necessariò in corpore fiunt. Verùm cùm non solùm ex prædicto victu, sed etiam ex causis incidentibus omnibus, frangentibus con-

tun-

tundentibus, & aliis eiusmodi, fiat morbus, & significetur: dubium est, cur Galenus huiusmodi causas 3. Epidem. & 8 5. cap. art. med. non recenseat. Respondeo quoniam Gal. sermonem habet de causis, à quibus quilibet se tueri arte potest, (neq; enim debuit causas non necessarias afferre: siquidem neq; medicus artis præcepta tradere potest, quibus homines defendantur à causis incidentibus & aliis eiusmodi non necessariis: Et quilibet, quamvis vulgaris, quotiescunq; animaduertit has causas non necessarias, ab iisdem seipsum custodire non ignorat) dimisit has causas locis citatis; quoniam decreuit artem tradere, qua homines se custodiant ab externis causis morbificis. Nos vero, qui hanc artem in præsentia non profitemur, sed volumus omnium morborum signa ex causis desumere, debemus quoque non tantùm necessarias, sed etiam non necessarias in medium afferre, & potissimum, quia ex his morborum differentiæ innotescunt. Quoniam ad dogmaticos scire spectat, quot & quænam sint genera causarum significantium morbos: idcirco de his generalibus est agendum. Duo autem harum causarum genera dari puto, aliud est genus causarum morbos efficientium: aliud verò ad morbos suscipiendos disponentium. Primum genus in quatuor adhuc genera distinguitur à Gal. 5. de sanit. tuend. nempe in genus eorum, quæ assumuntur, geruntur, foris adhibentnr, excer-

Dubium.

Solutio.

Generea causarum

Causæ morbos efficientes.

nun.

nuntur, & retinentur. Per ea, quæ assumuntur, intelligimus medicamenta, alimenta & venena, quocunque modo & per quemcunque locum assumpta, siue sint solida corpora, siue potiones, siue sorbitiones, siue per os ingerantur, siue immittantur per anum, pudenda, & aliam quamcunque corporis partem. Quid verò per alia genera causarum morbos producentium intelligere expediat, explicabitur postea. Itaque pro diuersitate alimentorum diuersi fiunt & significantur morbi. Ex alimentis paucis, parumquè nutrientibus tabes contingit & syncope: quocirca dixit Hippocrates 1. Aphorism. 5. In tenui victu etc. Ex alimento puro, multo, & plùs nutriente, quâm deceat, fiunt morbi ex repletione, & tumores varii, nimia corporis obœsitas, atq; etiam tum morbi significantur. Vnde dixit Hippocr. 2. Aphoris. 17. ubi cibus plùs ingestus morbum facit; ostendit autem & sanatio; quasi morbus non solùm significetur ex cibo plùs quam decet ingesto, sed etiam ex sanatione, quæ medicamentis contingit. Ex diuersitate quoque alimentorum morbi varii fiunt & significantur, vt ex farina triticea cum multo lacte decocta & assumpta, fiunt, obstructiones, calculi, arthritides, & alia eiusmodi mala, quemadmodum significauit Galen. 1. de alim. facult. cap. 5. lolium dolorem capitis vlcera cutanea & similes morbos producit

ducit & significat, iuxta Galeni sententiam libri citati cap. ult. Et vt prætermittam, quæ ad vestros spectant practicos, atque insistam tantùm vniuersalibus, sciendum est vobis, pro diuersitate alimentorum nocentium varios morbos fieri & significari, quemadmodum vos de alim. facult., de succorum bonitate & vitio, de salubri diæta, de attenuanti diæta, de ptisana, ex sententia Galeni intelligere valetis. Quod dictum est de alimentis nocentibus, idem de iuuantibus dicendum, ut nempe iuuando morbos significent. Victus tenuis non tantùm morbum ex repletione tollit; iuuando agens; sed etiam eundem morbum significat. Victus replens oppositum morbum tollit & significat. Quod dictum est de alimentis, idem multò magis de medicamentis dici debet; quia multo magis quoque agunt, quàm alimenta: idcirco occurrentia corpori sano medicamenta sæpe morbos inducunt, horum quoque signa exsistunt, & dum occurrunt ægris morbos tollunt, eorum etiam signa exsistunt. Legite Gal. in lib. de simplic. medic. facult. de compos. medic. s. g. & s. l. atque conspicietis, quamplurima morborum medicamenta non solùm causas, sed etiam signa à Galeno nuncupari. Vnde in Aphorismo suprà citato dixit Hippocrates: Ostendit autem & sanatio. Adhibita venena quoq; non tantùm morbos producunt, sed etiam multorum morborum signa exsistunt, vt vos in meo tractatu de venenis manifestè videre

dere poteritis. Hæc ergo omnia aſſumpta ſignificant qualitatem & quantitatem morborum, v. g. nymphæa, quod eſt medicamentum frigidum ſecundum tres gradus, dum vincit aut inducit morbum, eum proculdubio ſignificat eſſe ſecundum tres gradus in intemperie vel frigida vel calida. Nam vt inducit morbum, frigidum ſecundum tres gradus, ſignificat: vt vero uincit calidum, ſignificant quoque omnia medicamenta, quin imò omnia iuuantia, ut declarabitur in prognoſticis, an affectus lethalis vel ſalubris futurus ſit. Nunc declarare oportet, quid per ea, quæ geruntur, ſignificauerit Galenos, & quomodo morborum cauſæ & ſigna exſiſtant. Per hæc igitur intelligendum eſſe putamus, tum animi tum corporis motus, ocium, vitæ conditionem, lætitiam, triſtitiam, & eiuſmodi alia; quorum quædam à nobis proueniunt, ut animi perturbationes & vitæ conditio; quædam verò ab aliis in nobis fiunt, vt frictiones; geſtationes, nauigationes, & quæ vehicula obeunt; quædam verò habent mixtam naturam, cùm partim à nobis fiant, partim ab aliis proveniant, cuius generis eſt equitatio & geſtatio. Circa hæc quæ geruntur, notandum eſt, ocium eſſe ſignum & cauſam morborum frigidorum & humidorum: exercitium verò contrariorum morborum. Vitæ conditio pro eius diuerſitate varios morbos producit & ſignificat. Inter alia, quæ geruntur, eſt equitatio, quæ ſignum & cau-

De iis quæ geruntur.

causa ischiadis exsistit seu dolorum coxendicis. Idcirco, ut colligitur ex Hipp. l. de Aëre & Aquis, & ut vos colligere potestis ex tractatione mea de arthritide, propter continuas equitationes quamplurimi Scytharum ischiade afficiuntur. Porro genus eorum, quæ extrinsecus adhibentur, continet, quæ impulsu adhibentur, vt vulnerantia, contundentia, frangentia & alia similia. Comprehendit quoque quæ corpori adiunguntur & applicantur, veluti cataplasmata, cerata, inunctiones, & eiusmodi alia: item, quæ nos ambiendo circumdant, vt aërem, lotiones, natationes, &c. postremo etiam quæ collo reliquisquè partibus applicantur. Idcirco Hippocrates tentabat fomentis thoracis sanare dolorem, eisque utebatur, vt nos deduceret in cognitionem inflammationis pleuræ. Si enim ex adhibitis fomentis ad dolorem lateris dolor remoueatur, significatur adesse pleuræ inflammationem. Quamuis ea, quæ extrinsecus adhibentur, veluti sunt fomenta & inunctiones, & alia eiusmodi, qualitatem & quantitatem morborum significant: Galenus tamen 3. meth. 4. & 8. indicare hæc quoque existimauit.: neque sibi contradicit: quia vt inducunt vel remedium vel morbum, eundem quoque significant: vt vero non iuuant, quemadmodum iuuare deberent, indicant sui compositionem. Vtor exemplo Galeni:

leni: Puluis lythargyri in ulcere cavo non iuuat, quoniam non descendit ad fundum vlceris, idcirco indiget vehiculo, quod quidem est oleum. Propterea puluerem lythargyri cum oleo commiscendum esse iubet Gal. 3. illo meth. 4. Sed loquamur de aliis causis significantibus, inter quas collocantur omnia, quæ educuntur, quocunque modo & per quemcunque locum educantur; veluti est sudor, stercus, vrina, sordes, vapor, saliua, pili, pituita, quæ emungitur, humor, qui per purgationem aut venæ sectionem vel alia instrumenta evacuatur, pinguedinis vel carnis exsectio, vel carnis ossisquè detractio. Sunt etiam huius generis, quæ in nobis concreuerunt, vt lapides, tophi; qui quidem cùm detrahuntur, constitutionem naturalem permutant. Venus quoque seu semen excretum ad hoc genus causæ reducitur Eadem autem omnia cùm retinentur, ad idem genus causarum reducuntur. Contrariorum enim idem est genus. Ideo hæc contraria, nempe educta & retenta, quartum genus constituunt causarum significantium. Sed dicat aliquis vestrum, hæc retenta & educta, potiùs sub genere symptomatum, quàm causarum esse collocanda: Quod quidem fieri potest; ita tamen, vt dum morbos producunt vel afferunt causæ: dum vero consequuntur morbum, symptomata dici debeant. Itaque stercus, vrina, sudor, aliaque eiusmodi, immodicè exeuntia maciem producunt, & significant:

Obiectio.

Solutio.

nimia

nimia ſanguinis euacuatio non ſolùm talem ſimplicem, vt docuit Gal. l. de maraſmio. 1. ſed etiam maximam, vt ex eodem colligitur 1.2. meth. 1. inducit ac ſignificat. Nimia purgatio dyſenteriam efficit & indicat. Lapides dum vreteres ingrediuntur & per penem egrediuntur, earum partium ulcus pariunt & demonſtrant: dum vero retinentur, obſtructiones efficiunt & ſignificant. Poſtquam de cauſis efficientibus dictum eſt, nunc de diſponentibus dicendum. Sicut enim ad efficiendum morbum concurrit non ſolùm cauſa generans, ſed etiam diſponens corpus ad morbos ſuſcipiendum: ſic etiam non ſolùm morbum ſignificant cauſæ efficientes propoſitæ, ſed etiam diſponentes; de quibus nunc eſt dicendum. Et quemadmodum morbus vnus eſt genere: ita cauſa diſponens vna exſiſtit genere. Morbus eſt conſtitutio p. n. Cauſa diſponens eſt conſtitutio naturalis. Nam corpus, vt vario modo naturaliter eſt conſtitutum, ita ad ſuſcipiendos morbos vario modo eſt diſpoſitum. Conſtitutio naturalis vna genere per multas diuiditur differentias, per intemperiem ſcilicet, compoſitionem, & vnitatem. Et quia ſermo hîc fit de morbis ſimplicibus, qui ſignificantur: ita in præſentia recenſeri debet tantum ſimplex compoſitio & vnitas ad hos morbos ſuſcipiendos corpora diſponens. Idcirco temperies ſimplex vel eſt æqualis vel inæqualis: atq; hæc vel calida vel frigida vel hu-

De cauſis diſponentibus.

mida

mida vel ſicca. Compoſitio naturalis diuiditur in magnitudinem, ſitum, annexum, numerum, & conformationem; quæ quidem diuiditur in meatum, cauitatem, ſuperficiem, & figuram naturalem. Et compoſitio naturalis, quæ prædictis omnibus conſtat 3. Epidem. 3. comm. 9. nec non 2. Aphoriſm. 24. a Galeno nuncupatur natura. Conſtitutio igitur non eſt vera cauſa efficiens morborum, ſed diſponens corpora ad ſuſcipiendos morbos. Hinc eſt quod dixit Hippocrates 2. de Nat. hum. t. 2. cauſas morborum neceſſarias eſſe, aërem & victum: neq; meminit naturæ ſeu conſtitutionis naturalis; quia ibi de efficientibus cauſis morborum neceſſarijs ſermonem facit. 3. tamen Epid. 3. comm. 9. Gal. & 3. Aphoriſ. 19., non ſolùm adducens cauſas morborum efficientes, ſed etiam corpora ad morbos diſponentes, inquit, fieri morbos ab aëre, a victu; non parùm etiam conferente naturarum differentia. Siquidem ſi corpora fuerint temperata, & ſecundum partes organicas optimè conſtituta, valde reſiſtunt cauſis morbificis: dum tamen hoc corpus morbo corripitur, ſignificat ex optima conſtitutione, quæ præceſsit, morbum eſſe validiſsimum. Idcirco Hippocrates 2. de nat. hum. 5. dixit, morbi, qui in validiſsimo fiunt corpore, validiſsimi quoq; ſunt,

Corpora calida obnoxia sunt calidis morbis, frigida frigidis, & sic de cæteris. atq; corporum laborantium temperamentum, quod præcessit, præsentes morbos demonstrat. Si tamen contingat corpus naturale calidum morbo affici frigido, vel frigidum calido: significatur ex temperamento naturali, quod præcessit, morbum pręsentem esse magnum; quemadmodum est febris ardens in sene, & hydrops in juvene. Id quod de temperamento dixim⁹, idem quoque de ætate atq; sexu dicendum est. Et quandoquidem ætas & sexus eodem pacto dividantur & accipiantur, quo temperamenta dividi atq; accipi solent: propterea Hipp. 2. Aphoris. 34. in morbis, inquit, minus periclitantur, quorum morbus magis congruit naturę, habitui, aut ætati, quàm quibus secundum nihil istorum congruit. Verùm non solùm temperatura, sed compositio, quæ præcessit, disponit ad præsentem morbum suscipiendum corpus, & præsentem quoq; morbum significat. Pars quantò minor fuerit, tantò minori ulcere & inflammatione affici deberet; quantò majori, tantò maiori. Quòd si parva pars magna inflammatione afficiatur, ex compositione naturali partis, quæ processit, significatur, inflammationem præsentem

sentem esse morbum magnum, veluti est magna inflammatio tunicę adnatę. Ex situ, qui præcessit, significatur præsens affectus. Si descendant intestina in scrotum; quoniam à naturali eorum situ maxima facta est mutatio, valdeq; distāt intestina exsistentia in scroto a semetipsis, dum in proprio situ continerentur: idcirco ex naturali situ, qui pręcessit, significatur magn⁹ morbus ex situ intestinorum in scroto exsistentium. Si descendāt intestina in alterum ex inguinibus: significatur morbus in situ parvus; cùm non valde recedant intestina à situ eorũ naturali. Si pars interna afficiatur vulnere; significatur morbus magnus seu vulnus magnum: si externa, paruum. Nam ex partibus internis, quæ valde resistunt causis vulnerantibus, dum vulnus in eis introducitur, significatur summus recessus in unitate omnium partium, quæ vulnere afficiuntur. Idem de annexu est dicendum. Partes naturales valde sejunctæ dum afficiuntur morbo in añexu, v.g. cùm genæ axillis p.n. adjunguntur, valido morbo in annexu quoq; afficiuntur. Partes naturaliter angustæ morbo in angustia etsi facilè afficiantur, quem etiam pręsentē sua naturali angustia, quæ præcessit, significant: nihilominus morbũ in augustia paruũ quoq; demonstrāt.

 Partes

Partes verò latiores etsi difficilius morbo in angustia corripiuntur: dum tamen eo afficiuntur, maiori morbo affectæ dicuntur, quàm partes naturaliter præditæ angustia. v. g. minor est obstructio venarum capillarium quàm maiorum vasorum. Idem quoq; de conformatione. Et quod dictum est de meatu, de cavitate quoq; dici debet. Dum parua cavitas valde replètur, morbus in cavitate magnus significatur: Dum verò cavitas magna repletur, minor; quoniam facilius repleri solet, quàm parua, ideoq; minori morbo, quàm parva affici solet. Non est itaq; mirum, si hydrocephale sit multò maior morbus, quàm ipse hydrops. Asperitas quoq; & levitas superficiei affectum præsentem, & eius magnitudinem ac parvitatem significat. Quocirca maiori morbo in asperitate afficiuntur pueri, eunuchi, mulieres, & eiusmodi alij molles habitus, quàm fossores, rustici, & alij durioris habitus. Isti enim non valde recedunt propter morbum in asperitate ab eorum naturali superficie: Alij vero valde distant à naturali statu; & propterea non est mirum, si adolescentes, & præsertim molles, dum secundum universum suum corpus afficiuntur asperitate, etiam marasmo, siue is sit simplex, sive compositus, ut plurimũ detineantur. Ex his itaq; causis disponentibus significa-

ficatur,ut audivistis, tùm qualitas tum etiã quantitas morborum. Quamuis naturalis cõstitutio corpora vario modo disponat ad suscipiendos morbos,& ideo qualitatem & quantitatem morborum significet: Galenus tamen 9. Meth. 14. statuit, naturalem constitutionem sui conseruationem indicare. Inquit enim, geminam constitutionem auxilia indicare, præternaturalem scilicet indicare sui ablationem, & naturalem sui cõseruationem. Hinc colligere potestis ex Galeni sententia, virtutem cõsistere in constitutione naturali, in temperamento scilicet, compositione, & unitate. Quare eorum sententia est reijcienda, qui voluerunt virtutẽ in qualitate & quantitate continentium & spirituum reperiri. Cæterum constitutio naturalis, quæ sui indicat conseruationem,est præsens;de qua quidem mentio nõ habetur in methodo semiotica. Præterita enim est; quæ cùm ad varios morbos suscipiendos corpora disponat, diuersorum quoq; morborum signũ dicitur demonstratiuum. Idcirco 9. Meth. 14. & 15. inquit Gal. : sciri non potest, quantum recesserit corpus a naturali habitu, nisi innotescat prius, qualis fuerit naturalis habitus, qui præcessit. Idcirco hic naturalis habitus, qui præcessit, potissimum significat, quantus sit morbus, utrum magnus vel paruus. e. g.

si præcessit temperamentum frigidum, & introducatur in corpus eiusmodi temperamenti febris ardens, significatur ex temperamento, quòd præcessit, maximum factum esse recessum per caliditatem à statu naturali, & vehementissimá esse ardentem febrem. Posteaquam constat, quæ & quot sint signa à causis desumpta, nunc de signis ab essentialiter inhærentibus sermo est faciendus. Quemadmodum autem, ut colligitur ex Galeni lib. art med. c 8, essentialiter inhærét optimę institutioni, naturalis temperies, compositio, & unitas, quæ tamen à Gal. eo in loco tanquam conspicua non recensentur: ita constitutione p. n. seu morbo essentialiter inhæret vel intemperies, vel mala compositio, vel solutio unitatis. Atq; hæc essentialiter inhęrentia morbos pręsertim exteriores significant, qualesnam & quanti eiusmodi morbi existant. Qui quidem morbi quoniam sunt perspicui, non laboravit Galenus in tradendis eorum signis demonstrativis, quando quidem signa quã plurima locorum affectorum internorum in libris de loc. aff. proposuit. Verùm hęc essentialiter inhęrentia demonstrant quoq; morbos, qui externis & internis competunt partibus, veluti est febris, quæ omnium partium est morbus. Ea enim denotatur affectio calida & sicca; quoniam sibi essentialiter

De signis ab essentialiter inhærentibus.

liter inhæret calor p. n. cum ſiccitate junctus; ex quo etiam calore denotatur quantitas febris. Prout enim vel major vel minor exſiſtit, ita quoq; vel majorem vel minorem febrem ſignificat. Et quamuis eſſentialiter inhærentia immediatè affectus internarum partium non demonſtrent; mediantibus tamen externis partibus eos ſignificant. e. g. quamuis tumor lienis immediatè non ſit conſpicuus: hic tamen apparet, quoniam quoq; cutis tumida ſupra lienem conſpicitur. Demonſtratur quoq; ex eſſentialiter inhęrentibus, mediantibus partibus externis, quantus morbus exſiſtat. Nam ſi g. e. maximè extendatur cutis abdominis, maximus quoq; hydrops, qui dicitur Aſcites, ſignificatur: ex minori cutis extenſione, minor quoq; tumor abdominis indicatur. Itaq; nunc loquamur de ſignis, quæ capiuntur ex ſymptomatibus. Symptomata autem vel ſunt operationes, vel qualitates, vel excreta aut retenta p. n. Nomine verò operationũ intelligimus omnes operationes p.n., quæ quidem ſymptomata dici mereantur: cuiuſmodi operatio lęſa nõ eſt coctio ventriculi, quæ ob uſum vel pravorum vel multorum ciborum vel vigiliarũ contingit. Hæc enim lęſa operatio cùm non ſit ſymptoma, neq; item morbum ſequatur, eundem quoq; nullo modo ſignificat.

De ſignis, quæ capiuntur à ſymptomatibus.

Symptoma ergo in operatione læsa morbũ significat. Atq; hoc symptoma varium est pro diversitate operationis læsæ, & pro diverso modo secundũ quem operatio læditur. Variæ sunt operationes lesæ pro diversitate facultatũ, quæ frustantur. Et quia frustãtur facultates naturales, animales & vitales; idcirco operationes quoq; lesæ vel naturales vel animales vel vitales nuncupantur; et huiusmodi operationes lesæ in alias quoque dividuntur, de quarum differentijs non licet in præsentia exactè loqui; quia eorum doctrina in parte physiologica exactè est declaranda. Dividuntur quoq; operationes lesæ, quemadmodum Galenus docuit 3. de sympt. caus. cap. 1. pro diuersitate modi, quo eas lædi contingit. Vel enim operationes non fiunt, vel malè fiunt. Atq; hoc contingit, quia vel deparatè vel diminutè proficiscuntur. Dantur quoq; nonnulla symptomata in operatione læsa, quæ tamen à nulla facultate animi dependent, cuiusmodi sunt mõtus convulsiui, & quales in palpitatione apparent; qui quidem motus operationis lesæ à causa morbìfica productæ dici debent, ideoq; à Galeno inter symptomata ab operatione lesa recensentur. Ex omnibus ergo operationibus lesis morbus significatur. Nam si morbus fuerit in intemperie frigida, & ex operationibus sublatis interturbatur actio, ex operationibus imminutis

Divisio operationũ læsarum.

nutis

nutis & ablatis morbus in intemperie frigida significatur. Si enim operatio fuerit diminuta, morbus non valde frigidus: si ablata, admodum frigidus indicatur: quemadmodum quoq; fructuum maturatio à moderato calore eorum, cruditas verò ab intensa frigiditate seu valde diminuto calore procedit Diminuta verò coctio à minori seu minùs remisso calore procedit. Idcirco sublata sangvificatio in ascite valde diminutū calorem seu intemperiem admodum frigidam significat: Sangvificatio diminuta, qualis in cachexia & in anaserca reperitur, minorem epatis frigiditatem indicat. Stupor seu imminutio omnium operationum facultatum principum non vehementem cerebri frigidatem significat. Amentia, quæ & stulticia & abolitio operationum facultatū principum appellatur, intemperiem admodum frigidam cerebri demonstrat. Verùm non solùm ex operationibus diminutis & ablatis morbus significatur, sed etiam ex ijsdem vario modo genitis. Nam si confertim tollantur & restituantur operationes, ut accidit in Epilephia & Apoplexia levi, morbus significatur non in intemperie, sed in obstructione; siquidem intemperies neque citò fit, neq; citò desinit: atq; ideo neq; causa symptmatis, quod citò fiat & citò desinrt, esse potest. Obstructio autem à flatibus crassis genita citò fieri potest & cito tolli,

àtque cauſa ſymptomatis, quod citò fiat & citò deſinat, eſſe poteſt. Si verò ſtatim operationes tollantur, & diu ablatæ permaneant, ſignificatur intemperies frigida: ut ſi poſt immodicum fluxum ſanguinis fit atrophia, quæ perſeuerato nutritio ablata appellatur, ſignificatur ex ea intemperies frigida, à qua fovetur. Tollitur enim nutritio in maraſmo ſenili, qui quidem intemperies frigida & ſicca totius corporis exſiſtit. Operationes verò deprauatæ ſignificant ùt plurimum intemperiem calidam, veluti eſt putredo, quæ deprauata coctio dici poteſt. Hæc enim à calore extraneo proficiſcitur. Imaginatio læſa cum furore calidam cerebri intemperiem denotat. Productio verò ſanguinis bilioſi vel atrabilarij cùm à caliditate jecoris dependeat, eundem quoque ſignificat. Atq: ut uno verbo dicam, operationes læſæ, prout à varijs morbis pendent, ita varios quoq; morbos ſignificant. Si tamen ob morbos non fiant, ſed ob cauſam morbificam, eam quoque ſignificare valent. Imaginatio cum timore, quoniam à ſpiritu tenebroſo producitur, eum quoq; immediatè ſignificat; non autem morbum. Retentio fecum

in-

in marasmo significat intemperiem siccam intestinorum, à qua ortum trahit. Eadem de pravata operatio post usum ciborum siccorum & viscidorum significat excremēta sicca & viscida intestinorum, à quibus proficiscitur. Nunc loquamur de qualitatibus mutatis; quarum nomine intelligimus omnes qualitates p. n., præterquam eas, quæ rationem habent morbi; nisi tamen contigat dari morbos, qui & symptoma in qualitate mutata dici mereatur, quemadmodum e. g. est febris consequens inflammationem, quæ eandem quoque significat. Qualitas enim mutata rationem morbi duntaxat habebit, veluti est febris principalis; seipsum quidem significat, velut essentialiter inhærens, non autem tanquam necessariò consequens, aut tanquam symptoma. Itaque mollities, cùm sequatur humiditatem, morbum in intemperie humida significat. Non est igitur mirum, si patientes morbos humidos, veluti est anasarca, cachexia, & huiusmodi morbi, carnes quoque molles habent; veluti quoque sunt; qui œdemate detinentur. Quemadmodum tamen durities est multiplex, ut patebit postea: ita quoque mollities duritiei contraria multis modis dicitur.

Aliquando durities significat renitentiam: mollities verò ipsi contraria coincidit cum prehensibilitate, g. e. dum comprimitur tumor œdematosus, in eo fovea inducitur, manetq; compressio, g. e. à digito facta, & compressio permanens mollities quoq; nũcupatur, & significat non tantum humiditatem, sed tumorem frigidum & humidum, qualis est ædema, qualis quoq; in anasarca reperitur: durities vero prout à multis causis producitur, ita varios morbos significat. Si fuerit a siccitate, veluti est durities eorum, qui patiuntur hecticam febrem, significat quoq; siccitatem. Si fiat propter congelationem, summam denotat frigiditatem, qualis est durities tophi, qui aliquando post usum repercutientium in arthritide contingit. Si fiat à repletione, morbum in magnitudine aucta demonstrat. Talis est durities inflammationis, quæ potiùs & propriè renitentia dicitur, ut colligitur ex Gal. 5. de simpl. 8. si durities fiat ob siccitatem & cõgelationem, morbum valde frigidum & siccum denotat. Talis in marasmo confirmato, eoq; senili, reperitur. Durities etiam producta ob repletionem & frigiditatem congelantem humorem frigidum & siccum denotat, veluti est durities scirrhi. Tenuitas varios morbos significat, prout a varijs quoq; morbis pendet. Quandoq; capitur

pro

pro extenuatione; & in hunc sensum sumpta tenuitas intemperiem siccam,& magnitudinem imminutam indicat. Et in hunc quoq; sensum corpora aut eorum partes aliquæ tenues & emaciatæ dicuntur. Accipitur aliquando tenuitas pro fluiditate, in hunc sensum tenues dicuntur humores seu fluxiles: atq; huiusmodi tenuitas non morbum sed causam morbi indicat. Aliquando substantia tenuis nuncupatur ea, quæ constat à prædominio ex elementis tenuibus. Et in hunc sensum tenuitas significat intemperiem vel calidam & humidam vel calidam & siccam. Et in hunc sensum corpora, laborantia ardente febri, dici possent tenuia, quasi à prædominio constantia ex elemento tenuissimo, igne videlicet. Et in hunc quoq; sensum Gal. libr. art. med. 2. acumen ingenij sequi & significare cerebri substantiã subtilem seu tenuem dixit. Crassities verò opposita tenuitati oppositos quoque morbos, à quibus pendet, denotat. Igitur crassities prout aduersatur maciei, significat morbum humidum & in magnitudine aucta. Crassities sumpta secundo modo, non significat morbum, sed causam morbi in obstructione. Crassities ut opponitur tenuitati tertio modo sumptæ, indicat morbum vel frigidum & siccum, vel frigidum & humidum. Si considerantur aliorum sensuum

suum qualitates, ut sensus usus, auditus, gustus, & olfactus, hæ potius morbi caussam significant, quàm morbum: ut color varius abundantiam diuersorum humorum significat. Pariter qualitates sensus gustus diversæ, diversos humores, à quibus pendent, indicant. Qualitates quoque sensus olfactus humores significant. Nam fœtor humorem putridum, bonus odor naturalem denotat; & tinnitus abundantiam flatuum significat. Quare his qualitatibus dimissis ad exeuntia & retenta deveniamus. Præter operationes læsas inter symptomata consequentia morbum, habent locum excreta atque retenta, sive illa excernantur per alvum, sive per vias urinæ, sive per ambitum totius corporis, sive etiam per aliam regionem, e. g. urina flava, & sicca stercora, morbum calidum significant: Excreta viscida & crassa, frigidum, lapis exiens è vesica, calculos producentem intemperiem subesse demonstrat. Sanguis p. n. exiens, aut morbum in raritate, aut apertione, aut vasorum disruptione subesse significat. Et ne vos diutiùs detineam, in huiusmodi signis, statuendum est, pro diversitate execretorum diversos morbos significari. Descendamus igitur ad quartum

fontem

fontem signorum, qui sumitur à similitudine & dissimilitudine; qui quidem potius ratio comparandi res p. n. cum rebus naturalibus dici debet, quàm aliquod signorum demonstrativorum genus, à tribus prædictis distinctum. Idcirco non est mirum, si Gal. l. art. med. c. 14. signa adducens optimæ constitutionis, ab essentialiter inhærentibus, necessariò consequentibus, & causis signa sumpserit: de similitudine autem ne verbum quidem fecerit. Hippocr. quoque, Aphoris. 12. signa accessionum & constitutionum morborum sumpsit à causis, ab essentialiter inhærentibus, & à consequentibus: quæ sunt mox apparentia; de similitudine mentionem non fecit; quia à propositis signis similitudo non est signum diversum, sed ratio, qua alia signa optime comparantur. Accedamus igitur ad hanc rationem seu comparationem similium & dissimilium; ad quam quidem præstandam duo requiruntur: unum est, ut eius, cum quo fit comparatio, exacta notitia habeatur: alterum verò, ut sæpe comparatio fiat. Propterea Galenus ex sententia Platonis 9. de decret. 1. hæc habet. Numquid potest aliquis rerum ignorata veritate similitudinem eius, quod ignorat, vel parvam vel magnam in aliis discernere?

De signis quæ sumuntur à similitudine & dissimilitudine.

Subiun-

Subiungit: Nequaquam poteſt. Idcirco, ut refert Gal. 5. de offic. medic. comm. 1. medicus quidam empiricus cum alijs duobus ignobilioribus deceptus fuit, dum dixit, articulum cuiuſdam patientis luxatum non eſſe; quoniam utramq; partem iuncturę humeri ſuperjectam ſimilem inveniebat. Galenus enim hanc comparationem malam eſſe oſtendebat, quòd ignorabant empirici illi, alterum quoq; humerum luxatum eſſe. Cum enim compararent recenter luxatum cum altero, quem ſanū putabant, & utrumque ſimilem inuenirent: pronunciarunt, recenter luxatum non eſſe luxatione correptum. Decipiebantur autem, quoniam alterius humeri cognitionem non habuerunt. Petente ergo Galeno, an alterius humeri nunquam paſſus eſſet æger ille luxationem, & audiente, ante aliquod tempus humerum illum luxatum fuiſſe: ſtatim pronunciauit Galenus ex ſimilitudine utriuſq; humeri, alterum quoq; humerum luxatum eſſe. Requiritur ergo, ut eius, cum quo fit comparatio, exacta cognitio præcedat. Nā ſi quis ægrotet, & inveniatur habens nares acutas, & cavos oculos, collapſa tempora, non ſtatim aſſerendum eſt, eum affectu lethali detineri; quia ſi reliqua morbi ſigna ſalutem denunciant, confiſi eam eſſe naturalem hominis faciem, ab ijs, qui antea ipſum

ſum nouerunt, percontabimur. Quod ſi inuenerimus, eam eſſe naturalem hominis faciem; ſtatim pronunciabimus, ipſum neq; morbo graui, neque a ſtatu naturali valde recedente correptum eſſe. Si æger ſupinus cubet brachiis cruribuſquè iacentibus veluti reſolutis; non ſolùm ob morbum grauem, ſed ob mollitiem etiam patientis evenire poteſt. Quare niſi eius mores ſint nobis conſpicui, eos ab aſsiſtentibus peti oportet; alioquin decipi poſſumus, pronunciantes patientem magno morbo correptum eſſe, qui tamen omni magnitudine careat. Si vir nobilis trucem vultum habeat, vel flatum ex ventre cum crepitu reddat, dolor eius inſignis aut mentis alienatio ſignificatur; ſi præſertim hæc præſtando ob præſentes pudere debeat: Si tamen hæc efficere conſueuerit, aut nullam præſentium rationem habeat, nil prorſus hæc ſigna demonſtrant. Quare vt fiat comparatio, operæ pretium eſt, vt mores, uſus, atque natura patientis innoteſcant; atque exacta eius, cum quo fit comparatio, notitia habeatur. Quod vt nos conſequamur, non ſolùm quædam ab aſtantibus intelligete oportet, quemadmodum docuit Galenus; ſed etiam ad memoratiua ſigna eſt confugiendum. Vnde colligimus, magis fidendum eſſe medico, qui ſæpe patientem tractauit, quàm alteri, qui eiuſdem priùs cognitionem non habuit. Ille enim habita cognitione eorum, quæ præceſſerunt in ægrotante, o-

Quæ in comparatione conſideranda.

N. B.

 ptimam

ptimam eiusdem cum semetipso comparatio-nem efficere potest, atque diiudicare an valde à seipso differat. Qui vero recenter vocatur, vt ægro medeatur, non solùm ab assistentibus pe-tere debet, cuius naturæ, morum, ac vsus fuerit patiens, sed ad memoratiua signa eius, quod præcessit, confugere debet, qualia quidem ex causis & consequentibus capiuntur. Dum enim e. g. scire cupio, quanta caliditate afficiatur ie-cur alicuius patientis, cuius ego cognitionem priùs non habuerim, statim mihi sciendum est, utrum naturaliter sit patiens ille iecoris frigidi, aut calidi: quod quidem cognoscitur ex causis cùm præcedentibus tùm præsentibus. Ex il-lis quidem, quia patiens genitus est ex parenti-bus, qui iecur habuerunt calidum. Si enim fuerit ex cibis calidis, atque ex aliis id genus calefaci-entibus, significabitur ex prædictis causis, iecur de natiua constitutione recessisse, & adscititiam in patiente nostro caliditatē contraxisse. Ex præ-sentib. etiā causis in memoriam reuocatur iecoris naturalis caliditas; quia e. g. ex causis non mul-tùm neque diu calefacientibus introducta est caliditas p. n. Quare quæ præcessit iecoris tem-peries fuit naturaliter calida, & cum præsenti p. n. caliditate habuit similitudinem. Differunt autem signa demonstratiua à memoratiuis; quo-niam memoratiua non possunt esse essentialiter inhærentia, neque etiam pathognomonica: si-quidem naturalis constitutio, cuius cognitio in memoriam reuocatur, præcessit, atque eius ab-

latio-

lationem signorum ablatio pathognomonicorum consecuta est. Præsentia itaque esse non possunt signa essentialiter inhærentia & pathognomonica, quæ præsentem cōstitutionem præsentem denotant: habent tamen locum inter præsentia signa præteritam constitutionem denotantia mox apparentia; quoniam hæc permanent, quamuis constitutio, quam significant præterierit: veluti latitudo venarum, venter atq; hypochondria hirsuta, & similia, quæ caliditatē iecoris natiuā, quamuis præteritam, in memoriā reuocare possunt. Ex signis ergo memoratiuis deducimur in cognitionē eius, cū quo similiū & dissimilium facienda est comparatio. Galenus ex sententia Platonis 9. de decr. c. 1. vt p cōparationem res agnoscantur, præcipit non semel aut bis comparationē esse faciendā; quod etiam probat. Nam argumento sunt gemini admodum sibi similes, qui ab insuetis nequeūt dignosci, ab his autem, cum quib. habuerunt consuetudinē, statim agnoscuntur. Quod etiam repetit Gal. 3. de Anat. adm. c. 5. & 9. de decr. ult. Posteaq; cōstat, quæ requirātur ad cognitionem optimā efficiendā, declarare modo oportet, quotuplex ea esse possit. Et quoniā quatuor sunt, quæ ex comparatione cognoscūtur; ita quadruplex cōparatio dari debet. Cognoscitur aliquādo genus generalissimū, vt affectus seu res p. n.; quandoq; agnoscitur genus subalternum, vtputa morbus vel turpitudo: cognoscitur aliquando ex cōparatione species affectus, vt e. g. tertiana febris: aliquando innotescit

gradus affectus. Hæc omnia declaro. Nam si comparamus totum aliquod vel partem aliquam, quam præternaturaliter affectam esse suspicamur, quotiescunque totum vel pars non fuerit similis, sed dissimilis parti naturaliter se habenti, significatur totum illud vel partem p. n. esse correptam. Et propterea Gal. 8. de compos. medicam f. l. c. 7. animaduertit, quod cum res inter se multùm distant, contraria appellantur. Si ergo institutum sit, cognoscere, vtrum patiens detineatur morbo, patientem vel eius partem cum corpore sano vel alia parte sana comparabimus. Cùmque viderimus, illum vel eius partem valde dissimilem esse corpori vel parti sanæ, statim indicabimus patientem illum aut eius partem morbo correptam esse. In eo autem potissimum reperitur dissimilitudo, quod in corpore sano vel eius parte adsit dispositio ad operationes naturali modo edendas, quæ in corpore ægro aut eius parte desiderantur. Aliquando ex comparatione agnoscimus, patientem non ægritudine, sed turpitudine correptum esse. Nam etsi laborantes scabie aut lychenibus non dicantur ægri; quoniam ad operationes exercendas naturaliter sunt dispositi, ideoque sanis similes: quoniam tamen affectum habent naturali pulchritudini dissimilem, propterea ex hac comparatione turpitudine correpti cognoscuntur. Quandoque ex comparatione cognoscimus speciem morbi. Ideo Gal. 1. ad Glauc. 5. decla-

declarat, quomodo per comparationem tertiana febris cognoſcatur. Si enim contingat plurimos laborare tertiana febri, & tunc accidat, vt aliquis ægrotet: ſuſpicabimur, facta eius comparatione cum aliis ægrotantibus, ipſum quoq; tertiana febre laborare. Ita præteritis menſibus cùm plurimi & potiſsimum pueri detinerentur variolis, mox vbi puer aliquis febre corripiebatur, ſuſpicari erat opus, facta eius cum aliis pueris comparatione, ipſum quoque variolis laborare. Ex comparatione aliquando cognoſcitur gradus affectus, veluti e. g. patientem morbo magno vel paruo detineri. Hoc autem conſequimur ex comparatione ægrotantis cum ſeipſo. Si enim ſenex afficiatur ardenti febre, ſtatim facta comparatione eiuſdem febre correpti cum eodem, qui febri non detinebatur, in hanc devenimus ſententiá, ipſum vehementi febre laborare: Quandoquidem ab eius ſtatu naturali, qui erat frigidus, valde receſsit. Si aliquis fuerit autem calidioris iecoris, & incidat in intemperiem præternaturaliter frigidam, vnde cachexia contingat, facta comparatione iecoris affecti cum ſeipſo, quando non afficiebatur, iudicamus morbum eius frigidum eſſe vehementem. Quare quatuor ſunt comparationes, quemadmodum quoque quatuor ſunt, quæ per comparationem cognoſcuntur. Hactenus conſtat, quomodo indicans curatorium cognoſcatur, & quælibet eius ſpecies, & quicunque gra-

dus, licet gradus cuiuſcunq; morbi, nec ſcribi, nec dici, nec mente concipi poſſunt, Galeno 3. meth. 7. teſte, ſed artificroſa quadam coniectura cognoſcantur. Nunc declarare oportet, quomodo cognoſcatur indicans curatorium, ſeu morbus, in quantum parti determinatæ inhæret. Eſſet etiam de ſignis loci morbo affecti dicendum: ſed quoniam eadem ſigna locum affectum morbo, & cauſam demonſtrant; idcirco priuſquam de ſignis loci affecti ſermo fiat, de ſignis cauſarum eſt agendum. Ratio enim ordinis ea eſſe videtur, vt quemadmodum in morborum curatione principaliter morbum auferre ſtudemus: ita in ſemiotica principaliter & primò morbus eſt cognoſcendus. Cùmq; in methodo curatiua non poſſit morbus tolli, niſi tollantur cauſæ: idcirco de cauſæ ſublatione in ea methodo, gratia ſublationis morbi, mentio habetur. Ita in hac methodo ſemiotica, quamuis præcipuus ſit ſcopus morbi cognitio; quia tamen morbus non poteſt cognoſci, niſi eius cauſa cognoſcatur: idcirco poſteaquam locuti ſumus de morbi cognitione, de cauſæ quoque cognitione in præſentia eſt dicendum. Per cauſā autem non intelligimus contentiuam ſeu formalem morbi; quia de hac diximus: Non finalem, quia hac morbus caret: Non naturalem ſeu locum affectum; quia de ſignis locorum affectorum infra dicemus. Intelligimus igitur cauſam efficientem: non tamen quamcunq; : ſed cauſam efficientem

De cognitione cauſa.

entem indicantem. Causa enim efficiens, quæ præteriit, cùm non sit indicans; in præsentia verò de indicantis cognitione sermo fiat, non debet in hac methodo tractari. Causa autem indicans, quemadmodum docui in methodo curatrice, aut est per se indicans, aut ex accidenti. Per se indicans est, quæ simul habet rationem causæ, & simul est causa atq; indicans. Sic est putredo causa febris. Causa verò ex accidenti indicans est illa causa, quæ aut non semper est causa, aut si sit causa, non semper est indicans. Morbus aliquando est causa; veluti est morbus in intemperie frigida iecoris, quæ est causa hydropis. Symptoma quandoq; est causa, vt dolor vehemens vigiliarum causa est, attractionisquè, & syncopes. Constitutio naturalis quandoq; est causa p. n., vt dum e. g. continuitas naturalis cutis est in causa, vt sub cute contineatur sanguis. Causa secundum naturam ex accidenti etiam aliquando est causa p. n. ut sanguis nullo modo peccans in corpore febricitante ex accidenti est causa, vt prohibeatur eventatio vehemens, qualis, ubi adest febris, necessaria est. Causa externa, etsi in quantum externa, non indicet, in quantum tamen interna, & ex accidenti quoque se habens indicare potest; quia quandoque fit interna; veluti pila bombardæ, truncus infixus, puluis, & alia in vulneris labiis contenta sui ablationem indicant.

Causa vel per se indicat vel per accidens.

Hæc omnia itaq; habētia rationē causæ indicātis, siue per se siue ex accidenti indicent, in hac methodo sunt cognoscenda: Et propterea, ob quandam similitudinem, quam habent causæ indicantes cum causis non indicantibus, quæ sunt externæ & prætererunt, de cognitione etiam causarum præteritarum, quamuis non indicantium, sermonem habebimus. Et priùs de his loquemur, veluti facilioribus, quàm de causis indicantibus. Causarum efficientium quædam prætererunt, quædam adhuc præsentes sunt. Præteritarum signa sunt adducenda. Hæc au-
Obiectio. tem, vt docuit Gal. 4. de præs. puls. sunt memoratiua. Verùm videtur reprehendendus, quod ait, cognitionem præteritorum nihil aliud esse, quàm cognitionem causarum, quæ affectum producunt: cùm tamen docuerimus suprà, dari cognitionem præteritorum affectuum, dicique etiam poterat cognitionem reperiri præterito-
Diuisio. rum accidentium. Quantum spectat ad cognitionem præteritorum affectuum dicendum est, hanc quoque posse dici cognitionem causarum: quia affectus naturalis est causa limitans morbum. Intemperies frigida, v.g. in sene limitat ardentem febrem, adeò vt non nisi ardentissima in senem introduci possit. Per causas itaque Galenus intellexit efficientes, & limitantes, & disponentes. Maior est dubitatio
Dubitatio. de cognitione præteritorum accidentium, quæ in quantum accidentia præterita cognosci possunt,

ſunt, & in quantum accidentia ratione cauſæ, v. g. patiatur quis inflammationem pulmonis, & dicat ſe aliquando laboraſſe pleuritide: ſtatim ex pleuritide, veluti cauſa, notum ſit, ipſum quoque perpeſſum eſſe dolorem pungitiuum lateris, tuſsim, difficultatem reſpirationis, & febrem continuam: quæ quoq; accidentia innoteſcunt ex affectibus; quia ſubſecuta eſt, v. g. peripneumoma.. Ex comparatione quoque cognoſcuntur hæc accidentia; quia hoc tempore plurimi reperiuntur patientes talibus ſymptomatibus detenti: Quare ſigna memoratiua pertinent quoque ad præterita accidentia. Dicamus ſigna memoratiua alia pertinere adpræſtantiam artis manifeſtandam, alia verò eſſe ſignificantia, indicantia utilia, quæ indicant præterita, à quibus etſi non capiatur indicatio, ſignificant tamen indicantia utilia. Galenus loco citato locutus eſt de ſignis præteritorum ſignificantium indicantia utilia, & dixit, hæc ſigna tantùm eſſe cauſarum, quæ affectum inducunt. Quod ſi de omnibus ſignis memoratiuis mentionem feciſſet, dixiſſet ſigna memoratiua eſſe præteritarum cauſarum & præteritorum accidentium. Sed quicquid ſit de hac difficultate, de ſignis externarum cauſarum & præteritarum eſt dicendum, hæ enim cauſæ ſunt prius à medico animaduertendæ, quàm ab ægrotante vel aſtantibus referantur, vt maiorem artis præſtantiam demonſtremus. Innoteſcunt autem cauſæ,

Solutio.

De ſignis cauſarum præteritarum.

quæ præterierunt, ex earum effectibus, vt si quis propter æstum afficiatur febri ephemera, cutis apparebit ſicca, ſqualida; cùmq; magis, quàm a febre ephemera fieri poſsit calor febrilis, inuadens primo occurſu vigere, caputquè peruri videbitur, oculi ſtatim ſunt calidiores & rubicundi, atq;, ſi ad eos fiat fluxio, etiam humidiores. Si ex vigiliis immodicis fiat febris ephemera, cognoſcitur quod facies laborantis ſit decolorata, ſubliuida, cuius palpebræ vix attolluntur, oculi fiunt concaui. Quòd ſi ex mœſtitia fit, acris calor, corpus gracile, oculi ſicci, caui, parûm mobiles, facies decolorata, pulſus rarus & paruus. Et ne inſiſtam in recenſendis ſignis cauſarum præteritarum febris ephemeræ, ſciendum eſt, de his locutum fuiſſe Galenum 2. de differ. febr. vlt. & 2. de criſ. 3. & 4. Cauſæ quoq; præteritæ aliorum morborum ex earum effectibus notæ fiunt. Vulnus indicat cauſam præceſsiſſe, quæ vim habuerit ſecandi. Anguſtum & profundum vulnus, cauſam, quæ punctim ferit, demonſtrat. Verum præteritæ cauſæ non ſolùm ex effectibus cognoſcuntur, ſed etiam ex aliis fontibus ſignorum, in quantum notæ ſunt ex eſſentialiter inhærentibus. Quoniam ſi præterierunt, non inhærent: ſi tamen externæ cauſæ permanent, indicantur quoque ab eſſentialiter inhærentibus, vt infrà demonſtrabimus. Præteritæ tamen cauſæ ex cauſis remotioribus demonſtrantur. Nam ſi

quis

quis fuerit literarum ſtudioſus, ipſum febre ephemera aut alia correptum eſſe ſuſpicabimur propter vigilias; quod voluptate contemplationum captus plurimùm vigilare conſueuerit. Si laborioſus homo, ipſum ex laboribus contraxiſſe febrem exiſtimabimus. Si mulier fucata pulchritudine delectetur, & incidat in capitis dolorem, vel deſtillationem ſalſam, ex linimentis adſtringentibus, lixivio acri, & mora ſub radiis ſolis, ipſam affectam eſſe iure ſuſpicabimur. Ex ſimilitudine quoque ſigna præteritarum cauſarum capiuntur. Si puerum laborantem variolis intuemur, videamusque alium illi conſanguineum variolarum veſtigia habentem, ſtatim ſuſpicabimur, comparatione eorum inuicem facta, patientem puerum per contagium ab altero infectum eſſe. Si fuerint duo ſocii, quorum alterum ſciamus infectum eſſe lue venerea, poſt concubitum cum muliere infecta, & alter quoq; ſimili labe inficiatur, ſtatim ſuſpicabimur, comparatione eorũ habita, quoque poſtremum lue infectum eſſe poſt vſum veneris. Poſteaquam locuti fuimus de cauſis quæ præceſſerunt, loquendum eſt de cauſis præſentibus, inter quas eſt aër mala ſua qualitate aduerſus, truncus infixus, pila bombardæ, & aliæ eiuſmodi cauſæ. Aërem mala ſubſtantia aduerſum docuit Hippocrat. cognoſcendum eſſe 2. de

De cauſis præſentib.

Aer.

Nat.

Nat. hum. 3. quia omnes homines subinde tentat, tàm iuuenes quàm senes, tàm mares quàm fœminas, tàm diuides quam pauperes. Quod si aliquando post esum leguminum, aut tritici corrupti mala contingant communia, hæc tum pauperibus potius, quàm diuitibus eueniunt. Et si ex potu malarum aquarum mala evadant communia, hæc quidem exercitum militum, non autem alios inuadere consueuerunt. Cognoscitur quoq; hic aër ex remotioribus causis, aut quia ventis fuerit interclusus, aut propter tristes syderum aspectus genitus, aut ex vaporibus cadauerum, aut cloacarum. Ex essentialiter inhærentibus cognosci minimè potest; siquidem si mala quælibet proprietas nobis est ignota, aër quoque mala proprietate noxius secundum hanc proprietatem essentialiter sibi inhærentem cognosci non potest. Præter aërem inter causas externas agentes & permanentes in corpore datur truncus infixus, pila bombardæ & alia eiusmodi, quæ ad differentiá aëris venenati & causarum præteritarum ex essentialiter inhærentibus cognoscuntur. Pila enim bombardæ & truncus infixus atque eiusmodi alia tactu & visu sentiuntur. Et quamuis aliquando in intimis partibus corporis reperiuntur, & immediatè tactu non dignoscantur, mediante tamen stylo ferreo vel argenteo & eiusmodi aliis, tactu discerni possunt. Cognoscuntur quoque ex causis remotioribus; quoniam vel præcessit

ictus

ictus, aut ex ligno facilè frangibili, aut bombarda. Cognoſcuntur quoq; eiuſmodi cauſæ ex effectibus: vnde vulnus contingit, ſi fiat ex pila bombardæ, rotundum & cauum; & ſi pila fuerit parua, anguſtum: ſi magna, latum. Ex trunco infixo contingit vulnus vtplurimum tortuoſum & cum contuſione iunctum. Ex ſimilitutine etiam notæ fiunt eiuſmodi cauſæ. Quandoquidem ſi eiuſmodi patientes comparentur cum aliis, qui aut ex bombarda, aut ex ligno frangibili vulnerati ſint, facilè apparebit, quòd quemadmodum in aliis truncus infixus aut pila reperietur: ita quoque eiuſmodi cauſas in præſenti patiente reperiri credendum eſt. Præter cauſas externas in corpore permanentes & auxilia indicantes, datur quandoque morbus, qui ex accidenti eſt cauſa, & indicat auxilium præſeruatiuum, veluti eſt frigida intemperies, quæ producit hydropem. Itaq; morbus, habens rationem cauſæ eodem modo cognoſcitur ex eiſdem ſignorum fontibus, quibus demonſtratur morbus, quatenus morbus. Ex affectibus enim, veluti ex hydrope, demonſtratur intemperies frigida iecoris: Ex cauſis quoque, quia producta fuit & conſeruatur ex refrigerantibus, remittitur verò calor ex contrariis. Ex eſſentialiter inhærentib. etiam demonſtrari poteſt; Quoniam etſi frigidum epar non tangatur immediatè, mediantibus tamen partibus ſupra iecur frigiditas eius demonſtrari poteſt.

Ex

Ex ſimilitudine etiam ſimilis intemperies innoteſcit; quoniam quemadmodum in aliis hydropem patientibus expertum eſt, iecur eſſe frigidum: ita iecur præſentis patientis frigiditate eſſe correptum exiſtimandum eſt. Præter morbum habentem rationem cauſæ & indicantis præſeruatiui, datur quoque ſymptoma: & inter ſymptomata reperiuntur, quemadmodum Gal. docuit 12. meth. 1. operatio læſa,& excreta p. n. Qualitas enim mutata, quemadmodum ibi colligitur ex Galeno, nunquam eſt cauſa indicans in methodo curatrice: ſed, quemadmodum docui in tractatu de morbis cutaneis, & vt docet Galen. 1. de compoſ. medic. ſ. l., indicat qualitas mutata in methodo exornatoria. Inter operationes læſas habentes rationem cauſæ potiſsimum locum habet dolor, iſquè vehementiſsimus: qui quidem demonſtratur ex effectibus; quoniam ex eo imminet vel producitur fluxio, syncope, vigiliæ, conuulſiones. Ex eſſentialiter etiam inhærentibus cognoſcitur hic dolor indicans; quia etſi non ſit obiectum alicuius ſenſus exterioris, cognoſcitur tamen à mente, iuxta Hippocratis ſententiam 2. Aphoriſm. 5. dicentis: quicunque dolentes aliqua parte corporis dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat. Cognoſcitur quoque eiuſmodi dolor ex cauſis, ſiue ſint externæ & incidentes, frangentes, contundentes, & eiuſmodi alia: ſiue internæ,

veluti

veluti eſt intemperies & materia ſolutionis vnitatis cauſa. Ex comparatione quoq; : quoniam ſi comparetur dolor prædictos effectus pariens cum alio dolore ſimili, apparebit, quòd quemadmodum ille habuit vim indicandi ſtupefaciens: ita eiuſmodi dolor inter cauſas indicantes numerari poterit. Excreta quoq; habent rationem cauſæ p. n. indicantis, & cognoſcuntur ex effectibus. Quia ſi e. g. eiuſmodi excretum fuerit ſanguis immodicè fluens ſiue à naribus, ſiue ab alia parte; cognoſcitur ex effectibus. Producit enim ſanguis immodicè excretus cachexiam, teſte Gal. 10. meth. 5. maraſmum ſimplicem, vt ex eodem colligitur lib. de tabe c. 2. Efficit aliquando ſyncopen, vt omnibus manifeſtum eſt. Ex cauſis etiam innoteſcit immodicè excretus ſanguis; quia ex neceſsitate præceſſerunt cauſæ reſoluentes vnitatem vaſorum, vel vaſa aperientes, vel rarefacientes. Cognoſcitur quoq; ex eſſentialiter inhærentibus; quia immodicè excret⁹ ſanguis tangi & videri poteſt. Ex ſimilitudine quoq; cognoſcuntur; quoniam queadmodum in aliis ſanguis excret⁹ pariés ſyncopẽ, vel cachexiã, vel aliũ eiuſmodi affectũ, inter cauſas ex accidenti indicantes connumeratur: ita quoq; in patiẽte qui nobis occurrit curãdus, ſanguis excret⁹ ſimiles affectus pariens, cauſæ indicantis ex accidenti rationẽ obtinebit. Cõſtitutio naturalis cauſæ p. n. aliquando rationem obtinet, veluti eſt temperamentum, compoſitio etiam atq; vnitas naturalis.

Nam

Nam temperamentum cerebri, veluti docui in methodo curatrice, conseruat robur facultatis sentientis, & est in causa, vt eadem facultas optimè diiudicet obiectum molestum seu dolorem pariens. Quocirca temperamentum naturale cerebri indiget contrariis, stupefacientibus scilicet. Cognoscitur etiam eius temperamentum ex essentialiter inhærentibus; quia si fuerit externarum partium, tactu diiudicatur. Ex effectibus; quoniam est in causa vt vehementissimus producatur dolor. Ex causis; quia etsi præcesserunt & adsunt causæ soluentes vnitatem, & dolorem producentes: causæ tamen, quæ temperamentum partis dolentis mutauerunt, nec reperiuntur, nec præterierunt. Ex similitudine præterea cognoscuntur: Quoniam quemadmodum ubi in aliis temperamentum partis dolentis seruatur, dolor fit vehemens, temperamentum indicat stupefaciens: ita in patiente quem præ manibus habemus, si temperamentum seruetur naturale, dolor sit vehementissimus, stupefaciente indigebit. Ad compositionem reducuntur situs, magnitudo, annexus, numerus & conformatio. Cognoscitur magnitudo indicans, siue sit magnitudo cutis, siue carnis, siue alterius, ex essentialiter inhærentibus; quia tactu & visu, tanquam obiectum commune, animaduertitur. Siquidem cutis si digito comprimitur, compressa non permanet, sed retrocedit, & si sæpe comprimatur sub

Magnitudo indicãs ut cognoscatur.

cute

cute contineatur ſanies, tantam tamen non habet vim, quæ potuit magnitudinem cutis vel carnis de medio tollere, ulcuſq; inducere. Ex ſimilitudine, quia quemadmodum tum in aliis prædicti obſervantur affectus, magnitudo cutis vel carnis conſuevit habere vim cauſæ, indicantis ſui ablationem: ita in præſente patiente cùm eiuſmodi appareat affectus, magnitudo cutis vel carnis ſimilem habebit vim indicandi ſui ablationem. Naturalis ſitus eiſdem cognoſcitur fontibus, quibus etiam omne indicans demonſtratur. Nam ſi v. g. fuerit ſitus vaſis in fundo ulceris, fluxionem ſangvinis producens, apparet ſenſu tactus & viſus, & cognoſcitur affectus ex fluxione, quæ nullo modo fieret, ſi in ſuperiori loco vas collocaretur. Ex ſimilitudine etiam indicari poteſt; quoniam diſsimilia vaſa, quæ in fundo ulceris haberi conſueverunt, ſanguinis immodici fluxionem patiuntur. Figura verò recta vaſis eiuſdem, quamuis ſit naturalis, fluxionem tamen ſanguinis conſervat, & cognoſcitur pluribus ſenſibus, quia eſt obiectum commune. Ex effectu etiam indicatur, ex fluxione ſcilicet multi ſanguinis, qua eadem figura conſervatur. Innoteſcit quoque ex ſimilitudine, ſicuti manifeſtum eſt. Quod diximus de his, quæ attinent ad conſtitutionem naturalem, ex accidenti rationem cauſæ morboſæ obtinentem, de aliis omnibus, quæ habent rationem cauſæ ex accidenti nocentis, dici quoq; poſſunt, ut ſcilicet ex

eiſdem ſignorum fontibus cognoſcantur, v. g. ſangvis quantitate immodicus quoniam impedit tranſpirationem, quæ in febre ardenti vehementiſsima eſſe deberet, cognoſcitur, quia ex eius evacuatione melior tranſpiratio ſuccedit. Et cognoſcitur etiam ex comparatione; quoniam in his omnibus qui laborant febre ardente, quávis quantitate non redundat ſanguis, nihilominus tranſpirationem in ardenti febre valde neceſſariam impedit. Hæc dicta ſint de cauſis ex accidenti indicantibus: modò de his, quæ per ſe indicant, & earum ſignis eſt dicendum. Et quemadmodum progreſsi fuimus in adducendis ſignis morborum ab univerſali ad minùs univerſale: ita in adducendis ſignis cauſarum progredi quoque decrevimus. Cognoſcitur itaque cauſa per ſe indicans, quia ſi fuerit cauſa methodi curatricis, de qua in præſentia mentio habetur, conjunctum habet morbum, qui naturalis appellari ſolet, velut humor putridus habet annexam febrem ex putredine. Cognoſcitur etiam cauſa per ſe indicans ex ulteriori cauſa: quia, v. g. præceſsit aut immodicum exercitium, aut aliud eiuſmodi, quod calefaciendi & putrefaciendi habet facultatem. Et quoniam cauſa per ſe indicans eſt corpus mixtum, humano corpori adverſarium, propterea hæc cauſa etſi per ſe non ſentiatur, ex accidenti tamen ſenſu cognoſci poteſt. Dividitur hæc cauſa in quantum miſtum, & in

De cauſis per ſe, & earum ſignis.

quantum

quantum est mixtum adversarium. In quantum est copus mistum, dividitur in vaporem, humorem, & corpus solidum. Et cognoscuntur hæc omnia mixta, quia tanguntur, videntur; quia præcesserunt causæ producentes vel vaporem, vel humorem, vel corpus solidum; quia adsunt harum causarum effectus: Et quia si comparentur corpora repleta vaporibus aut humoribus, aut corporibus solidis, sive hæc sunt lapides, sive vermes, sive alia eiusmodi, apparebit procul dubio, inter hæc corpora summam reperiri similitudinem. Cognoscuntur quoque hæ differentiæ causarum per se indicantium in quantum adversantur corpori: Cumque adversentur merito Quantitatis, Qualitatis, Substantiæ & Vbi; idcirco si fuerit in quantitate superaucta, & v. g. fuerint humores, cognosci queunt, inquit Hippocrit. 1. Aphoris. 2. ex regione, cœli statu, ætate & morbis. Quibus quidem verbis proposuit signa redundantis humoris desumpta ex causis & effectibus. Verùm ut pateat, quomodo significetur ex causis redundans humor; sciendum est causas humoris alias esse efficientes, alias materiales: & efficientium aliàs verè producere humores redundantes, nonnullas vero vel conservare vel mutare. Generantium redundãtis humoris aliæ sunt proximæ, quædam verò remotæ: Et ex his omnibus significantur humores redundantes.

Aêris conditio, regio, anni tempus, & consimiles sunt causæ remotæ & efficientes, ut v, g. aër, regio, anni tempus calidum & siccum, vita laboriosa, vigiliæ, curæ, nimiam flavam bilem producunt & significant; Et si diutius agant, atram quoque bilem generant & indicant. Anni verò tempus, aër & regio frigida & humida, ocium, & alia hujusmodi, generant & indicant pituitam, Hujus generis est sexus & ætas: Ideoque indicare consuevimus mulieres esse pituitosas, mares biliosos, adolescentes sanguineos, juvenes biliosos, constantes melancholicos, senes pituitosos. Quamvis ætas & sexus inter effectus quoque temperamentorũ reponi possunt, & eo mediante redundantes humores quoque significare: Hæ tamen omnes caussæ remotæ sunt; quoniam regio, anni tempus, non nisi mediante aêre: ætas verò & sexus, non nisi mediante temperamento redundantes hnmores indicant: adeò quod temperamentum & calidum quoque innatum sint caussæ immediatæ producentes & significantes superfluum humorem v. g. calidum & siccum temperamentum producit & significat redundantem bilem: & si diu agat, producit & significat quoque superfluam melancholiam. Neque enim frigidum & siccum temperamentum producit, & in quantum causa significat melancholiam, sed potius ut ejusmodi effectus melancholiam indicare consuevit. Calidum & humidum temperamentum sanguinem

nem superfluum producit & significat: frigidum verò & humidum pituitam. Et quamvis omnes humores ex unico temperamento iecoris fiunt, ut tamen redundantes, varium temperamentum desiderant, â quo producuntur & significantur. Calor innatus plurimus, sanguinem copiosum producit: paucus, pituitam, atq; etiam ille sanguinem copiosum, hic verò pituitam redundantem significat, Quæ verò causæ non efficiunt, sed conservant vel mutant humores, sunt lædentes & juvantes. Qui temperatis causis juvantur, & læduntur ab intemperatis, superfluos non habent humores. Qui autem lædũtur à similibus, & juvantur à contrariis habent superfluos humores, v. g. quos calida & sicca juvant, pituitam superfluam habent: Quos frigida & humida, bilem, & sic de cæteris. Præter causas efficientes locum habent materiales, & non solum eæ, ex quibus varii generantur humores, sed illæ quoque propter quas geniti redundant, & alii etiam, in quibus redundantes colliguntur. Pro diversitate itaq; ciborum diversi fiunt humores. Ex cibis enim calidis & siccis, bilis abundans: ex frigidis & humidis, pituita producitur & significatur. Nam quemadmodum cibi magis cum uno quàm cum alio humore sunt similes: ita quoque magis in unum quàm in alium humorem vertuntur, & eum superfluum significant. Hoc tamen decretum non est perpetuæ veritatis. Nisi enim ad hu-

Causę materiales.

Nota.

morem producendum concurreret temperamentum iecoris, ex cibis non producerentur humores eiſdem cibis conſimiles: verum ex iecoris temperamento, humores cibis contrarii quandoq; proficiſcuntur: Nam ex cibis temperatis non deberent produci humores ſuperflui: propter caliditatem tamen & ſiccitatem iecoris, ex eiſdem cibis redundans bilis generatur, & ex frigido & humido iecore, pituita. Servāda quoq; eſt quantitas, ordo & tempus aſſumptorum ciborum, Si enim cibi calidi & ſicci immodice capiantur degenerant in pituitam: Quod quidem ab omnibus obſervatur, de vino quoq; potenti. Si enim immodicè bibatur morbos quoq; producit frigidos, ut apoplexiam, epilepſiam, vertiginem, arthritides, & eiuſmodi alios. Ex paucis vero cibis producitur bilis. Dum .n. paucum eſt alimentū, pars dulcior ſanguinis à calore ſuperaſſatur, & in bilem convertitur; eo modo, quo mel per ulteriorem coctionē & vetuſtatem temporis amarum efficitur. Vbi vero ordo pervertitur, corrupti gignuntur humores. Nam ſi prius comedantur cibi duræ ſubſtantiæ, ut caro bovina, legumina, & eiuſmodi alia, deinde capiantur alimenta tenuis ſubſtantiæ & facilis digeſtionis, ut lac, ova ſorbilia, & conſimilia. Non generatur melancholia aut pituita ex his, quæ ſunt duræ ſubſtantiæ, neque ſanguis ex his, quæ facilè concoquuntur, & optimæ ſunt ſubſtantiæ; ſed chylus producitur nidoroſus, & humores corrupti con-

ſurgunt. Si etiam tempus ciborum congruum non ſervetur, cibus quamvis calidus & ſiccus, ſi capiatur, antequam prius aſſumptus fuerit integrè digeſtus, abundans pituita generatur, & ex eo genita ſignificatur. Præter has cauſas, ex quibus generãtur humores, habent quoq; locum retentæ evacuationes, ex quibus geniti redundant & ſignificantur. Si vomitus bilis, qui frequenter contingit, alicui ſupprimatur, ex eo bilis ſuperflua ſignificatur. Quod dictum eſt de hac retenta evacuatione, idem de omnibus aliis dici debet. Si ſermo fiat de cauſis materialibus, in quibus colligũtur humores, ex ijſdem apparebit, humores ſuperfluos quoq; ſignificari. Si repleatur ventriculus aut cerebrum, ſignificatur abundans pituita; quod illic ſit ſedes pituitæ: Si repleatur lien, ſignificatur melancholia: Si iecur, ſanguis vel bilis: Si venæ, ſeroſi vel bilioſi humores vel ſanguis. Si uterus, ſangvis: Si pleura, bilioſus ſanguis redundans ſignificatur; quandoquidem in eiuſmodi partibus prædicti humores colligi conſueverunt. Cognoſcũtur quoq; redundantes humores ex his, quæ eſſentialiter inhærẽt: dummodo tamẽ humores à proprietate non adverſantur. Quod quidem dixiſſe volui propter humores peſtilentes, quia nec ſenſu, nec mente, ſecundum eſſentialiter inhærẽtia, percipi poſſunt: quamvis ex effectibus, ex cauſis, & comparatione cognoſcantur, ut patebit poſtea. Hinc cupio vos colligere, nonnullos malè exiſtimaſſe, non deſumi ſigna ab eſſentialiter inhæ-

rentibus. Putant enim nos per eſſentialiter inhærentia intelligere ea, quæ ſecundum naturam inſunt partibus ſimilaribus: cùm tamen nos per eſſentialiter inhærentia intelligamus formam, Ideam ipſorum indicantium, quam etiam propoſuit Hippocrates, quemadmodum vos docui in expoſitione Aphoriſ. 12. primæ ſect. dum dixi, conſtitutiones morborum denotari ex anni tempore & morbis ipſis. Nonne per morbos Hippocrates intellexit formas ſeu Ideas morborum; quæ cùm ſunt ſenſibiles, ſigna quoq; ſuarum conſtitutionum dicuntur? Et niſi caperetur ſignum ab eſſentialiter inhærentibus, ſequeretur, quòd humor peſtilens indicaret. Probo conſequentiam. Quandoquidem humor peſtilens, quamvis non cognoſcatur ex eſſentialiter inhærentibus, cognoſcitur tamen ex Effectibus, ut ex febre peſtilenti: Ex Cauſis, ut ex aëre peſtilenti, & ex Comparatione, ut eſt omnibus manifeſtum. Si ergo non caperetur ſignum ab eſſentialiter inhærentibus, cùm humor peſtilens ex aliis fontibus cognoſcatur, ſequitur, quod quoq; ſit indicans. Siquidem iſtud eſt indicans, quemadmodum aliâs docui, quod ſenſui vel intellectui eſt perſpicuum. Cæteri tamen humores redundantes, præter peſtilentem, ex eorum formis ſeu eſſentialiter inhærẽtibus cognoſcuntur. Si enim corpus tangatur calidum & ſiccum, bilis redundat: Si frigidum & humidum, pituita. Licet enim immediatè, dum tangitur

Indicans.

tur corpus, non tangatur humor: mediante tamen corpore, quo continetur, tactu persentitur. Quod dicitur de his duobus humoribus, idem de aliis dici debet. Tanguntur quoque humores excreti: unde excreta pituita, quemadmodum docuit Hipp. 1. de nat. hum. tactu apparet frigidissima & humidissima. Habent etiam humores suos effectus, quibus demonstrantur, inter quos sunt colores, odores, sapores, & secundæ qualitates tangibiles, veluti est crassities, visciditas, tenuitas, & eiusmodi alia. Itaque ex colore flavo corporis, bilis redundans: Ex rubro, sanguis: Ex nigro, melancholia: Ex Pallido redundans pituita significatur: quemadmodum colligere licet ex Gal. 4. Aphoris. in comm. Aphoris. 2. Huiusmodi tamen colores, abundantes indicant humores, dummodò non retrocedant humores, quemadmodum docui in interpretatione Aphoris. secundi, primæ partis. Potissimum tamen color in facie, in oculis, & in vena magna sub lingua perspiciendus est, ut docuit Gal. 4. in sextum de morb. vulg. 24. & 5. eiusdem 14. & 16. Siquidem hujusmodi partes valde citò ex colore humorum inficiuntur, & infectæ statim significant redundantes humores. Verùm non solùm ex colore corporis continentis, sed etiam ex colore contenti, quod excernitur, superfluus significatur humor. Si tenuis & flavus & pallidus exeat humor, bilem excerni indicat; atque eandem abundare: Si

albus, viſcidus, & craſſus excernatur humor, pituita: Si niger & craſſus, melancholicus: ſi pallidus & fluidus, ſeroſus humor abundans indicatur. Habent præterea humores qualitates ſenſus guſtus, quibus cognoſcuntur. Itaq; ſi ſapor humoris fuerit inſipidus, qualis etiam dulcis dulcedine aquæ appellatur, redundans pituita inſipida dicitur & ſignificatur. Si ſapor fuerit valde dulcis, ſanguis abundans demonſtratur. Verùm non ſolùm ex ſaporibus temperatis, ſed ex calidis & frigidis ſignificantur humores. Nam ſi de calidis ſermo fiat, ex ſapore ſalſo, pituita ſalſa aut ſerum ſalſum ſignificatur: ex ſapore amaro, pallida bilis, vel flava, vel vitellina indicatur: æruginoſa verò, iſatodes & ea atra, quæ ex humoribus aduſtis producitur, acrem habet ſaporem, quo indicatur. Si ſermo fiat de ſaporibus frigidis, ex ſapore acido, acida pituita, quæ eſt craſsior, quàm inſipida, demonſtratur. Ex acerbo verò & auſtero, melancholia naturalis indicatur; quæ ſi fuerit valde terreſtris, erit acerbus; ſin minus, erit auſterus: Et ſi parùm calefiat & in aliam bilem p. n. vertatur, erit acida: Si verò comburatur, acris, quemadmodum dixi. Odor ſi fuerit iucundus, ſignificat non redundare humores, ſed temperatos reperiri. Si fœtor aderit, putridos redundare humores aut putredini obnoxios ſignificat. Propterea corpora calida & humida, quoniam ſunt putredini obnoxia, fœtida quoque

esse consueverunt. Præter effectus humorum, qui quidem in eis permanere solent, datur quoque effectus eorum, qui aliis communicantur. Communicantur autem vel animo vel corpori. Qui iracundi & furibundi sunt, bile abundant : stolidi ad risum prompti, & incontinentes, sanguinei : maligni, proditores, simulatores & iniuriarum memores, atra bile abundant : obtusi ingenio, pituita: memoria felices sunt melancholici : facile comprehendunt & imaginantur sanguinei & pituitosi. Propterea ad discendum pueri & adolescentes sunt valde dispositi : non autem qui sunt provectioris ætatis. Verùm ex eiusmodi signis abundantia potius humorum in sanis, quàm in ægris corporibus significatur. Nunc tamen sermo fit de abundantia humorum in corporibus ærgis. Itaq; mania, ut affectus p. n. attingamus, exsuperantis atræ bilis præter naturalis est indicium. Tristitia & timor sine ratione melancholiam naturalem abundare plus iusto indicat : Delirium cum furore bilem superfluam ; cum risu vero sanguinem exsuperantem significat. Obstupescentia autem denotat abundantiam pituitæ. Atque, ut breviter omnia complectam, affectus animi non tantum temperies, sed etiam humores, à quibus prodeunt, demonstrant, quemadmodum colligitur ex Gal. in li. Quod anim. mor. seq. temp. corp. Affectus quoq;, qui ex humoribus corpori com-
muni-

municantur, humores, quos consequuntur, indicant. Et quoniam in præsentia mentio fit de humoribus in corpore ægroto abundantibus: idcirco effectus tantùm horum humorum licet recensere. Cumq; eiusmodi humores in corpore ægro habeant rationem caussæ: idcirco producunt quoque vel morbos, vel symptomata, à quibus significantur. Morbos proposuit Hipp. dum dixit 1. Aphoris. 2. Inspicere itaq; oportet regionem, ætatem, anni tempus, & morbos. Morbus enim calidus & siccus, ab humoribus genitus, ut plurimum redundantem bilem significat, quamvis quoque atram quandoq; bilem exsuperantem vel pituitam salsam significare posit. Calidus & humidus morbus significat abundantiam sanguinis, velut est inflammatio. Frigidus & humidus abundantem pituitam denotat, veluti anasarca, œdema, & alii eiusmodi morbi. Frigidus & siccus morbus, veluti scirrhus, denotat abundantiam melancholiæ. Et non tantùm ex toto morbo, sed etiam ex partibus morborum significantur abundantes humores. Partes morborum sunt periodi. Itaq; si periodus quotidiè invadat, significatur abundans pituita: Si de tertia in tertiam, bilis: Si de quarta in quartam, melancholia. Et si accessio perpetuò eundem servet tenorem, morbum produci à sanguine significatur. Vehementes morbi, qui ex humore gignuntur, sanguinem & bilem sequuntur, & quandoq; atram bilem: De-

Partes morborũ.

biles

biles ex pituita fieri solent: Benigni ex sangui-
ne & pituita prodeunt: maligni ex bile vitelli-
na, æruginosa, aut ex atra bile fieri solent: &
eiusmodi morbos humores prædicti significant.
Quòd si ex particularibus morbis licet inferre
exsuperantes humores, perpetuò dicemus, asth-
ma & dyspnœam, & orthopnœam exsuperan-
tem pituitam significare: Lepram verò & sca-
biem, & eiusmodi alios morbos, abundantem
atram bilem aut salsam pituitam indicare: Po-
dagram verò indicare pituitam, & potissimum si
fuerit antiqua. Symptomata etiam exsuperan-
tiam humorum vel vaporum, ex quibus pro-
deunt, significant. Siquidem palpitatio & epile-
psia abundantes vapores denotat. Coctio immi-
nuta, pituitam abundare: depravata verò vel
bilem, vel atram bilem, vel corruptos humores
redundare significat. Dolor si fuerit erosivus,
abundantiam bilis: Si pruriginosus, atræ bilis
vel salsæ pituitæ significat: Obtusus & gravis
pituitam: Tensivus vel flatum, vel sanguinem
abundare denotat. Atque, ut uno verbo dicam,
pro diversitate symptomatum varii redundan-
tes humores significantur. A similitudine quo-
que capiuntur indicia. Si duos simili morbo
correptos habeamus, quorum altero mortuo &
dissecto inveniatur malignus humor: in alio
quoque similem humorem reperiri existimabi-
mus. Recordor, præteritis annis dissecto cada-
vere Illustris Burgundi plurimam saniem in eius
thora-

thorace inventam fuiſſe: cumq; alius poſtea ſimili illius morbo laboraret, judicavi ſtatim, in eiuſdem quoq; thorace quam plurimam ſaniem contineri. Quapropter diſſecto eiuſdem cadavere, ſimilis priori & plurima ſanies in thorace reperta fuit. Quare reijcienda eſt proculdubio eorum ſententia, qui hunc fontem ſignorum à ſimilitudine dari non exiſtimaverũt. Quæret fortaſsis aliquis veſtrum, Quænam ex propoſitis ſignis exſuperantis humoris ſint certiora, & quæ minus certa. Cui quidem ſic ſatisfaciendum arbitror, ſi dicam9, ſigna à cauſis ſumpta, niſi ſimul plurima concurrant, non eſſe perpetuò vera. Neque enim ſemper in æſtate abundat bilis. Nam ſi conſtitutio corporis non fuerit calida, ætas ſit ſenilis, uſus præceſſerit ciborum refrigerantium, & vixerit patiens in ocio: potiùs pituita, quâm bilis in eo redundabit. Neq; etiam ſemper in ſene abundat pituita. Nam ſi regio, cœli ſtatus, aër, cibus, vitæ conditio, fuerit calida & ſicca: proculdubio potius bilem, quâm pituitam abundare ſignificabitur in ſene. Vt igitur ſigna à cauſis ſumpta vera ſunt, requiritur, ut ad ſignificandum redundantem humorem quam plurima ſimul iuncta concurrant. Quantum ad ſigna ab eſſentialiter in hærentibus, & primum quantum ad humores non excretos, ſed in corpore detẽtos, qui eo mediante tanguntur, non ſit perpetuò verum iudicium. Nam etſi abundent humores calidi, & concentrentur, quemadmodum contingit in rigore,

corpus

corpus nõ apparebit calidũ, ſed frigidũ. Vt igitur hæc ſigna veritatem cõtineant, requiritur, ut humor non cõcentretur. Magis certum eſt ſignum, ſumptum ab eſſentialiter inhærentib9, dummodo excreti humores ſtatim tangãtur. Tactu enim excreta pituita djiudicatur; quoniam corpus fluidum ſummè frigidum & humidum perſentitur. Quo ad effectus humorum, & primum quo ad ſapores, dũmodo humores occrrrunt linguæ, ſemper ex ſaporibus cognoſcuntur. Ideò ſanguis linguæ occurrens, ſemper valde dulcis, pituita aquea ſeu parum dulcis aut inſipida ſemper dijudicatur. Et quod dicitur de humoribus, de reliquis quoq; dici debet. Ex odore certa capiuntur ſigna dummodò non retrocedant humores, quẽadmodum docui. Propterea Montanus fuit in errore, dum in expoſitione 2. Aphoriſ. 1. ſect. quærens, cur Hippocrates redundantis humoris ſigna non ſumpſerit ex colore, atq; dixerit, non propoſuiſſe Hippocratem colorem, quoniam locutus ſit Hipp. de redãundtibus humoribus intra vaſa, ideoq; dixiſſe: Sic & vaſorũ inanitio &c. decipitur Montanus, quoniam per vaſa intellexit Hippocrates omnes cavitates, omnes poroſitates, quarum redundantes humores etiam ex colore ſignificantur. Tacuit autem Hippocrates colores, quoniá ſervans doctrinam Aphoriſticam voluit ſubintelligẽdos eſſe ex ipſis morbis, quaſi dicat Hippocrates, nõ ſolùm ex morbis, ſed etiã ex ſymptomatib. in qualitate mutata, utpote ex colorib. ſignificari redundantiã humoris. Signa

qua

quæ capiuntur ex affectibus animi, prorsus certa non sunt: quia animi affectus non solùm sequuntur humores & temperamentum, sed potissimum pendent à consuetudine. Propterea Socrates, etsi propter temperamentum & humores quibus abundabat, obtusi fuerit ingenii, ex consueta tamen sibi cõtemplatione in acutissimum philosophum conversus est. Et quamvis Demosthenes, propter intemperiem frigidam & humidam, & propter pituitæ redundantiam, balbus fuerit, propter consuetudinem tamen optimus evasit orator. Affectus p.n. in corpore & potissimum morbi, signa redundantis humoris sunt certa. Ideo tertiana febris bilem redundare: quotidiana pituitam, quartana melancholiam, absq; dubio demonstrat. Signa quoque ex Comparatione sumpta potissima sunt, dum modò optima fiat comparatio: atque tali modo signa ex comparatione sumpta verissima sunt. De signis multitudinis humorum supra locuti fuimus: nunc de ijsdem aliqua etiam sunt dicenda. Multitudo sanguinis à Galeno l. de plenitud. 13. Method. 7. plenitudo nuncupatur. Hæc autem, quemadmodum docui in methodo curatrice, vel est plenitudo quo ad vires, vel quo ad vasa. Prioris plenitudo cognoscitur: Nam si fuerit quo ad vires naturales, alteratur sanguis, imminet eius putredo, aut eadem introducitur. Cognoscitur qnoque ex causis juvantibus: quia, si fiat sanguinis evacuatio, præservantur patientes à putre-

putrefactione, aut purgantur. Si plenitudo sit quo ad vires animales, persentitur tensio, grauitas, facultates animales ad agendum obtusæ redduntur, atq; ex sãguinis euacuatione remouetur grauitas, tensio, validiusq́; operantur facultates animales. Si plenitudo fuerit quo ad vitales facultates, imminet suffocatio caloris natiui, virtus vitalis redditur imbecillis, & patitur vel lypothymiam, vel syncopen. Ex euacuatione huius multitudinis, virtus quæ premebatur, ablato pondere, reficitur. Si fuerit plenitudo quo ad vasa, imminet vasorum ruptio, rarefactio, vel apertio. Disruptis vasis vel apertis cõtingit vel nimia fluxio sanguinis, vel si sanguis non effluat, extra vasa detentus, inflammationes parit. Et ex euacuatione huius sanguinis remouetur eiusdem fluxus, & humores, qui ex eo pendent, tolluntur. Præter hæc signa plenitudinis quo ad vasa, & quo ad vires, possunt etiam alia ex suprà dictis colligi, & potissimum ex producentibus sanguinis abundantiam, siue sint interna, vt iecoris caliditas & humiditas, siue externa, vt multitudo ciborum valde nutrientium. Proponi quoque possunt signa ex essentialiter inhærẽtibus, quia dum euacuatur sanguis, multus quoq; apparet. Ex causis etiam agentibus colliguntur signa multitudinis eiusdem, vt ex suppressa ali-

qua sanguinis euacuatione. Nunc de signis causæ aduersariç secundum substantiam est loquendum. Causa aduersaria secundũ substantiam si fuerit contentum, est humor putridus; qui quidem si fuerit semen, cognoscitur ex effectibus, nempe ex præfocatione vehementi; ex causis; quia ex dimissa venere retẽtio seminis prçcessit. Ex causis iuuantibus; quia vsus veneris, vel contrectatio pudendorum mulieris iuuat. Ex eodem etiam semine, quod propter prædictam contrectationẽ euacuatur. Si verò humor aliquis secũdç coctionis fuerit putridus, cognoscitur: quoniam si sit bilis, fiunt accessiones de tertia in tertiam: si pituita, quotidie: si melancholia, de quarta in quartam: Si sanguis, cõtingit febris, similem a principio vsq; ad finem tenorem habens, præcesseruntq; causç putredinis prædictorum humorum, veluti sunt obstructiones, & obstructionum causæ, siue sint internç, siue externç. Præter humores putrescentes adsunt etiam quædam contẽta solida secundum suam substantiam aduersaria, veluti sunt vermes, lapides, & eiusmodi alia. Cognoscuntur vermes ex sensu punctionis, ex lipothymia, epilepsia, & aliis eiusmodi affectibus. Innotescunt etiam, quoniam dũ euacuantur apparent: Et quia prçcesserunt causæ productionis vermium, siue sint internæ, vt redundans pituita, siue externæ,

De signis causæ ex tota Substantia aduersæ.

ternæ, vt cibi, ex quibus redundans pituita, quæ in vermes conuerti poteſt, generatur. Innoteſcunt lapides, quia ſi ſuerint renum, cõtingit dolor grauatiuus, mictio diminuta, & quandoq; ſublata; quando nimirũ deſcendunt ad vreteres: renum excoriatio Præceſſerunt quoq; cauſæ lapides renũ producentes; vt ſumma eorum caliditas, & pituita craſſa, quę a renũ caliditate in calculos conuertitur, veluti quoq; lutum in lateres à calore fornacis conuerti ſolet. Si fuerint lapides veſicæ, cognoſcuntur ex graui dolore circa veſicã, ex ſublata mictione, quãdo nempe lapides deſcendunt ad collum veſicæ, ex vlcere, & ex cauſis, ex quibus lapides veſicę producuntur, inter quas non ſolum eſt materia viſcida, ſed etiam arenulæ, quæ diu detinentur in veſica, & a calore quamuis diminuto eiuſdẽ veſicæ in lapidẽ conuertuntur. Præter contenta ſecundum ſubſtantiam aduerſaria adſunt quoq; continentia, veluti eſt caro atq; oſſa. Caro corrupta cognoſcitur, veluti in gangræna cõtingit, ex ſublato ſenſu & motu corruptæ carnis, ex colore nigro cũ ſplendore iuncto, ex fœdore & aliis eiuſmodi cõſequentibus: ex cauſis iã pręgreſsis, e. g. vehemens inflammatio, quæ partem affectam corrũpere potuit. Os verò corruptũ cognoſcitur, ex effectib; quia in oſſe aſperitas & caries gignitur: ex cauſis; quoniam

aut ſupra os detenda fuit ſanies virulenta, quæ os corrumpere potuit; aut quoniam facto vulnere, os, quod carne non tegebatur, diſſoluto eiuſdem calido innato putridum factum eſt. Cognoſcitur quoq; quoniam dum exit apparet; & quoniam ſi inuicem comparentur habentes oſſa corrupta, maximè apparebit eorum ſimilitudo. Non licet in præſentia de ſignis cauſæ aduerſariæ ſecundum qualitatem ſermonem habere: quoniam ubi cognoſcitur, quis redundet humor, facilè etiam innoteſcit, qua qualitate corpori aduerſaria ille ſit præditus. Et quoniam ſupra docuimus, ſigna morbi in intemperie, patere etiam ex eiſdem ſignis poteſt, quæ ſint continentia, ſecundum qualitates corpori aduerſaria. Docere autem oportet ſigna cauſæ aduerſariæ, ſecundum ubi. Huiuſmodi autem cauſa, veluti docui in methodo curatrice, vel habet initium motus diminuti, vel deprauati.

Signa cauſæ aduerſæ ſecundum ubi.

Cognoſcitur cauſa habens initium motus diminuti, quia ſi v. g. fuerit humor, veluti eſt ſanguis, qui quidē ſtatis temporibus ex venis vteri euacuari deberet, & in quantitate conuenienti: ſi diminutè euacuetur, hoc contingit vel quia minùs evacuatur quàm decet, vel quia tardiùs euacuatur quàm conueniat. Vtrumq; apparet, quia perſentitur à muliere. Cognoſcitur etiam ex effectibus; vnde mulieres redduntur hyſte-

ricæ, seu affectus quamplurimos vteri pa-
teintes. Cognoscitur quoq; ex causis, vt
ex semiangustia, siue hæc sit natiua siue a-
scititia, producta e. g. ex sanguine crassio-
ri obstruente, ex quo etiam sanguine, & ex
aliis causis, ex quibus ipse producitur, dimi-
nutus fluxus cognosci potest. Si habuerit
humor initium motus praui, hoc contingit,
quemadmodum aliâs docui, quia mouetur,
aut quia moueri potest ad partem, ad quam
moueri non deberet. Si igitur moueri po-
test ad partem prædictam, hoc cognoscitur
ex effectibus, quos parere consueuit, vt e.g.
si tempore veris quolibet anno pati consue-
uerit quis podagram, ex hoc effectu, qui
motum humoris ad pedes consequi solet,
significatur humorem habere raptum ad pe-
des, & potissimum, si laxitas in eis fuerit
introducta, si venæ apparuerint latæ circa
tibias. Cognoscitur etiam hic humor ex
essentialiter inhærentibus: quia si aliqua ex
parte euacuatur per expuitionem scilicet,
apparet valde fluidus & ideo raptum habēs
ad partes imbecilles. Cognoscitur ex cau
sis; quia præcesserunt causæ hunc humorem
producentes, & capitis intemperies humida
& frigida, cibi pituitosi, & alia eiusmodi.
Etiam ex comparatione innotescit hic hu-
mor; quia si comparetur hic humor, qui
per expuitionem euacuatur, cum humore,
qui præteritis annis podagram efficere con-

ſueuerat; utiq; apparebit maximã inter eos humores reperiri ſimilitudinem. Materia, quę mouetur ad locum indecentem, ſiue hic locus ſit decenti proximus ſiue non, cognoſcitur ex ſignis loci affecti, de quibus nunc eſt dicendum. Nam poſteaquam diximus de ſignis eſſentialiter indicantis, ſeu poſteaquã dictum eſt de ſignis indicantis, quid ſit agendum: nunc eſt dicendum de ſignis indicantis inhærentis, ſeu de ſignis indicantis ubi agendum. Hoc autem indicans vel in toto reperitur, vel in parte aliqua. Et ſi in toto reperitur, euidentiſsimum eſt, & ſignis non indiget vt demonſtretur locus affectus huius indicantis. Et propterea non eſt mirum, ſi Galenus libris de locis affectis non propoſuerit ſigna totius corporis affecti, ſed partis alicuius tantùm. Cognoſcitur autem pars affecta ex eiſdem ſignorum fontibus, ex quibus innoteſcit affectus, nempe ex eſſentia affectæ partis, ex cauſis affectionis partis, ex effectibus partem affectam conſequentibus, atq; ex aliorum ſimilitudine. Per eſſentiam affectæ partis intelligo partis intemperiem, malam compoſitionem, ſolutam vnitatem & proprietatem affectæ partis. Si quis enim tangat partem intemperatam, eam affectam ſtatim diiudicabit. Et ſi intemperata pars tangi non poſsit, ſed aliis ſignis eius temperies demonſtretur, ex intem-

De ſignis indicantis ubi agendum.

temperie aliis signis perspicuo eadem pars affecta significabitur. Per malam compositionem intelligo morbum in magnitudine, in situ, in añexu, in numero, in conformatione. Per magnitudinem autem intelligimus imminutam & auctam. Dum excernuntur per aluum ramenta intestinorum, intestina affecta significant. Dum per tussim caro spongiosa excernitur, pulmo affectus significatur. Si excernatur substantia ossis, vel nerui, vel carnis, vel membranæ, os, vel neruum, vel carnem, vel membranam affectam esse significatur. Hoc signum à Gal. 1. de loc. affect. 3. nuncupatur signũ desumptum à substantia excretæ partis. Nos verò existimamus cum eodem posse dici signum captum ab imminuta quantitate substantiæ partis. Deficit etiam substantia, etiamsi quæ excernitur non appareat, quæ tamen permanet imminuta conspicitur; vt si brachium macie corripiatur, significat affectam esse cutem, musculos, pinguedinem, & alias eiusmodi partes ipsius brachii ex macie, propter quam læditur coctio ventriculi, ventriculum affectum esse significat. Magnitudo etiam aucta denotat locum affectum. Tumor in abdomine aut musculos, vel peritoneum, aut omentum, vel ventriculum, aut lienem significat affectum esse. Quænam verò ex his partib. peculiariter afficiatur, situs tũmoris,

& eius natura indicat. Si in ſiniſtro fuerit hypochondrio, & in loco profundo, ſi tumor fuerit frigidus & ſiccus, durus & indolens, lienem effectum eſſe ſignificat. Ex malo etiam ſitu, vtputa ex diſlocatione, ſignificatur correptus eſſe articulus. Ex deſcendente inteſtino in ſcrotum, inteſtinum malo ſitu affectum, & peritonuum diſreptum eſſe demonſtratur. Ex malo annexu ſignificatur affectus locus. Nam dum palpebræ inuicem annectuntur, affectas eſſe palpebras: dum maxillæ genis connectuntur, maxillarum & genarum affectum eſſe demonſtratur. Si remoueatur dens, ex hoc numero diminuto maxillas affectas eſſe ſignificatur. Si ſextus fuerit digitus, ex hoc numero aucto manum affectam eſſe demonſtratur. Conformatio mala diuiditur in meatum, cauitatem, figuram, & ſuperficiem. Quo ad figuram, ſi aliquis fiat gibbus ſpinam affectam eſſe demoſtratur. Et ſi habuerit contorta crura, tibias correptas eſſe indicatur. Ex anguſtia, ſi fuerit anguſtia, ex qua lædatur viſio, pupillam vel opticos neruos affectos eſſe demonſtratur. Vtrum verò potius pupilla vel nerui optici afficiantur, ex ſitu anguſtiæ oſtenditur. Si fuerit profunda anguſtia, neruos opticos affectos eſſe demonſtrari poteſt. Si fuerit extrinſeca, veluti eſt ſuffuſio, denotatur affe-

ctam

ctam esse pupillam. Ex cauitate affectus locus significatur. Vnde ex ascitide peritoneum, & partes infra ipsum affectas esse demonstratur. Ex asperitate superficiei indicatur locus affectus. Nam si stylo imposito intra vulnus partis asperitas percipiatur, os esse corruptum demonstratur. Ex soluta quoque vnitate significatur locus affectus. Nam si vulnus pertingat vsq; ad cerebrum, cutem, pericrarium, cranium, vtramq; meningem, & cerebrum solutione vnitatis affici demonstratur. Ex proprietate, vt v. g. ex proprietate producendi calculos, significatur vel vesicam vel renes, vel intestina affecta esse: siquidem præter has partes non datur alia, quæ habeat proprietatem producendi calculos. Ex proprietate efficiendi marasmum, vel iecur, vel ventriculum, vel cor, esse affectum significatur: siquidem non datur alia pars, à qua influat calidum igneum in totum corpus & producantur febres præter cor. Hæc sunt signa desumpta ab essentialiter inhærentibus, seu ab essentia affectæ partis, à quibus affecta loca significantur. Non solùm autem ab his, quæ essentialiter insunt locis affectis, sed etiam à consequentibus signa locorum affectorum constituuntur. Per consequentia autem intelligo symptomata & morbos, qui tanquã symptomata affectum locum insequuntur. Per

symptomata autem tùm læſas operationes, tùm excreta, tùm retẽta, tùm qualitates mutatas, accipiendas eſſe puto. Operationes autem læſæ non denotant locum affectum, niſi ab affecto loco prodeant. Nam ſi emanant ab externo errore, locum affectum non ſignificant. Læſa vẽtriculi coctio ob multa & mala qualitate aduerſaria alimenta prodiens, non ſignificat affectionem ventriculi. Similiter ſi error externus fuerit priuatiuꝰ læſa fieri poteſt operatio, quę locum nõ denotat affectũ. Ablatus ſenſus & motus crurum non ſignificat crura affecta eſſe: ſiquidem hæc operatio ablata in anguſtiam ſpinalis medullæ potius referẽda eſt. Et quamuis etiam externus error intrinſecus ſit genitus & operationẽ aliquam vitiet, nõ tamẽ ex lęſa operatione locus affectus denotatur. Læſa ventriculi coctio propter fluxionem bilis a iecore in vẽtriculum, ventriculum affectũ non ſignificat: niſi cùm per locum affectum intelligamus, locum non tantùm morbo affectum, ſed etiã cauſam. Tali enim modo ex omni operatione læſa ſignificatur locus affectus, à quo prodit illa operatio. Idcirco dum motus & ſenſus tollitur crurũ & tibiarum, partes eiuſmodi ſunt affectæ non morbo, ſed errore priuatiuo influẽtis facultatis. Vbi coctio vẽtriculi læditur, ſiue lędatur ob multa & praua cibaria, ſiue ob bilẽ, à iecore in vẽtriculum fluentem,

tem, ventriculus est affectus, nō quidē morbo, sed causa. Vt autē læsa operatio significet locum affectū morbo, operæ precium est, vt nō procedat ab externo errore. In hunc sensum vigilia, somnus p. n., deliriū, stupor, & aliæ similiter læsę actiones cerebrum affectū significāt. Inappetentia ciborum, vel immodica fames, aut sitis, læsum ventriculū denotat. Sanguificatio praua, iecur affectū. Distributio sanguinis, venas. Pulsus p. n., cor vel arterias affici significat. Et quod dictum est de his operationibus, de omnib. aliis dicendum est. Vt si v. g. sermo fiat de dolore, si fuerit pungitiuus, affectas esse membranas significat. Locus verò doloris pungitiui, determinatam membranam affectam esse significat. Vnde si dolor pungitiuus fiat in thorace, pleura significatur affecta: Si in dextro hypochōdrio, iecoris membrana: Si in capite, cerebri meninges afficiūtur. Dolor obtusus circa regionē renum, eorū substantiā: grauis, membranas, vel vreteres affectos esse significat. Pulsatorius denotat affectas esse arterias. Quod si sermo fiat de excretis, & si eorū substantia cōsideretur, substātia partis in quātū excernitur, denotat illā partem affectā esse. Ramenta intestinorū, intestina affecta esse significāt: quemadmodū etiā supra docui: quādo quidē hæc excreta substātia partiū ad fontē signorū ab excretis desumptū, & ad fontē captum

ptum ab imminuta magnitudine partium reduci potest. Et quod dicitur de ramentis intestinorum, idem de substantia omnium partium, quæ excernuntur, dici debet, vt nempe omnis substantia excreta denotet illam partem, cuius est substantia. Aliquando etiam excernitur à parte aliquid ipsi familiare, siue sit opus eiusdem, siue obiectum, ex quo quidem pars affecta significatur. Cibus cùm è vulnere excernitur, aut vomitu, aut per aluum, affectum ventriculum significat. Stercus vel vermes vulnere exeuntes, intestina significant affecta. Verùm non solùm substantia exeuntis, sed etiam qualitas denotat locum affectum. Spiritus per exspirationem calidior exiens pulmonem vel cor affectum testatur. Sanguis vulnere exiens tenuis, calidus, & rubens, venam affectá significat: Exiens sanguis veluti lotura carnis per aluum, iecur affectum significat. Sanies perforato abdomine redolens odorem stercoris, intestina affecta significat. Verúm non solùm qualitas excreti sinceri, sed etiam permixti, denotat affectum locum. Sincerus sanguis ano exiens, aut sedem, aut intestina tenuia, aut partes ibi superiores affectas demonstrat. Et non solum qualitas, sed etiam quantitas excreti indicat locum affectum. Si multus cum tussi exeat sanguis, pulmonem esse affectum

ctum: si paucus, asperam arteriam affici denotatur; quòd in pulmone plura & maiora vasa reperiantur, quam circa asperam arteriam. Si sanguis multus exeat cum vrina, renes: si paucus, vesicam denotat esse affectam; quòd plura & maiora vasa sanguinem continentia sint circa renes, quam circa vesicam. Multa frustula vasorum exeuntia per tussim, pulmonem: pauca, fauces significant esse affectas; quoniam multò sunt plura vasa in pulmone, quàm in faucibus. Si in diabete multa exeat vrina, vtrumq; renem: si verò plurima non exeat, vnicum tantùm affectum esse significatur. Tempus etiam excretionis denotat locum affectum. Si diu tussiendo exspuatur sanguis, pulmonis vasa affecta; si breui tempore, capitis vasa affecta esse demonstratur. Modus etiam excretionis significat locũ affectum. Si simplici exspuitione excernatur fœtidum, partes ori proximas exteriores infici significatur: si cum screatu, fauces: si per tussim, asperam arteriam, vel pulmonem affici demonstratur: si per vomitum, gulam, vel ventriculum. Ordo quoq; excretorum locum significat affectum. Si prius sanguis, deinde feces excernantur, sedem vel intestina inferna affecta esse significatur: quòd si priùs feces, deinde sanguis evacuetur, partes supra intestina crassa collocatas affici de-

demōſtratur. Si prius mingatur ſanies, quàm vrina, penem affectū eſſe: ſi prius vrina, deinde ſanies, partes ſupra veſicā collocatas, ulcere affici demōſtratur. Retēta quoq; ſignificāt locum affectum. Vrina plus juſto detenta, vel collum veſicæ, vel vreteres affectos eſſe demōſtrat. Verùm non tantùm excreta, ſed etiā qualitas immutata ſignificat locum affect[illegible]: veluti eſt color, ſapor, qualitates tāgibiles ſecundæ, & aliæ eiuſmodi. Dum caro eſt liuida, & cutis; oſſa ſubiecta corrupta eſſe quoq; oſtenditur. Lien obſtructus ex colore nigro totius corporis demonſtratur: ex flauo vero iecur. Si color ſit albus in toto corpore, & nimia reperiatur mollities, iecur affectum eſſe ſignificatur. Ideoq; qui cachexia & hydrope detinentur, nimium albi & veluti pallidi, mollesq; fiunt. Si ventriculus repleatur bile, lingua flaueſcit: ſi pituita, alba redditur. Ex odore: ex naribus emanāte fœtore, partes intra nares affectas eſſe ſignificatur. Si ex alia parte emanet fœtor, alia quoqs partē infici demōſtratur. Inter effectus conſequentes & ſignificantes locū affectum ſunt morbi, qui ſymptomatibus aſsimilantur, vt ſunt febres, quę inflammationē conſequuntur. Febris itaq; continua, quæ alternis dieb. exacerbatur, iuncta cum dolore lateris & aliis ſymptomatibus, pleurā eſſe affectā ſignificat. Hydrops affectum eſſe iecur denotat.

Hy-

Hydrocephale significat affectum esse cerebrũ. Et quod dictũ est de eiusmodi morbis, de similib. per quandã proportionẽ dici debet. Præter effectus significantes locum affectum sunt etiã causę, quę diuiduntur in quatuor genera, nempe in genus eorũ quæ assumuntur, geruntur, educũtur, retinẽtur & foris adhibentur. Quo ad ea, quæ assumuntur, sunt alimenta, venena, & alia quęcũq; assumpta, siue per os ingerantur, siue per pudenda, aut anũ injiciantur. Inter alimenta e.g. lac significat vtrũ jecur sit affectũ obstructione. Nam si assumpto lacte paulo post persentiatur in dextro hypochondrio grauitas, & tensio, significatur iecur obstructum esse; quod hoc, veluti crassæ substantię & flatulentũ, nõ possit iecur obstructũ permeare, ideoq; grauitatem, ac tensionẽ inferat. Quo ad venena, si quis cãtharides assumpserit, in patib. ad vrinã colligendã, reddẽdamq; destinatis vitiũ esse credimus; quod huiusmodi, venena eas partes inficere consueuerint. Si potio aquæ nocuerit, ventriculũ, vel epar, vel lienẽ malè habere arbitramur; quoniã huiusmodi partibus aquę potio est valde molesta. Si ex euphorbio imposito intra nares læsio contingat, partes narium interiores & cerebrum quoq; affectum esse putamus; quoniam eiusmodi partibus, tanq; proximis ipsi euphorbio, euphorbium sua caliditate valde nocet. Et quod dicitur de his assũptis lędẽtib. idem

dici

dici depet de assumptis iuuantib. vt nempe locum affectū denotet. Dum occurrit dubium, an intestina crassa, vel ventriculus afficiatur, ex assumptis loc⁹ affectus demōstrabitur. Si ex detergentib. & siccantib. assumptis tantùm per os cōtingat patientē iuuari, significabitur affectum esse ventriculū. Si ex impositis per anum sentiet patiens iuuamētum, denotabitur affecta esse intestina crassa. Si ex assūptis per os & per anū impositis iuuetur patiens, significatur affecta esse intestina tenuia. Si occurrat dubium, vtrum circa meatum penis, vel circa collum, vel fundum vesicæ reperiatur vlcus, possumus certiores fieri de loco affecto ex iniectis per penem. Nam si vlcus fuerit in meatu penis, ex applicitis detergentibus & siccantibus cum candela breui: Si circa collum vesicæ, ex iisdem applicitis cum candela longiori: Si verò vlcus fuerit in ipsa vesica, ex iniectis parco clystere iuuantibus, significabitur locus affectus. Ex his etiam quæ geruntur indicatur affectus locus. Sunt autē quę gerūtur multa, inter quę sūt artes. Idcirco si quis tractet aliqua, quæ cū puluere misceri solēt, vt est ille, qui artem cribandi exercet, & hic inficiatur, statim suspicabimur, vel asperam arteriam vel pulmonem eius affectum esse, quòd puluis cū aere inspirato à prædictis partibus facilimè suscipiatur. Hinc inter ea, quæ gerūtur, sunt etiam equitationes, ex

qui-

quibus Iſchiades fieri conſueverunt. Ex equitationibus itaq; ligamenta articulorum coxarum affecta eſſe ſignificantur. Ex his verò quæ extrinſecus adhibentur, denotantur affecta loca. Et inter hæc eſt aër, ſunt natationes, cerata, cataplaſmata, & alia, quorum omnium ſuperius mentionem fecimus. Si quis igitur ſub radiis ſolis degerit, & nocumentum ſumpſerit, caput affectum eſſe exiſtimabimus; quod inſolatio præſertim capiti noceat. Si ex natationibus aliquis morbo afficiatur, ſuſpicabimur, præſertim ſi natationes fuerint in aqua dulci, ligamenta articulorum affecta eſſe; quoniam illis partibus valde nocent eiuſmodi natationes. Si dubitamus, utrum ſpina dorſi vel brachium ſit affectum, ex ceratis, inunctionibus, & aliis eiuſmodi applicatis de loco affecto certiores fieri poſſumus. Nam ſi juverint cerata applicata ſpinæ, indicabitur ſpinalem medullam affectam eſſe, & præſertim quia ſi hæc applicentur brachio, nullum ipſi brachio tribuunt juvamentum. Ex retentis quoque & excretis indicatur locus affectus. Dum excernuntur lapides ſignificantur inteſtina vel veſica vel renes affecti; Siquidem in eiuſmodi partibus fieri conſueverunt. Vermes excreti denotant affecta eſſe inteſtina. Dum retinetur ſemen plus juſto, veluti contingit ubi Venus omittitur, uterum, vaſa ſpermatica, caput & cor infici ſuſpicamur, quòd ſemen retentum valde adverſarium fiat eiuſmodi partibus, ut comprobatur in hyſteri-

cis. Dum ſuperflue educitur ſemen, ut in pollutione, in gonorrhæa, in ſuperflua venere, vaſa pariter ſpermatica omnemq; nervoſam & ſpirituoſam ſubſtantiam affici putamus; quoniam multi ſeminis exitus his partibus eſt noxius. Ex ſimilitudine etiam indicatur locus affectus. Si quis dubitat, quæ pars cerebri in apoplexia afficiatur, poterit ex ſimilitudine loci affecti certior fieri. Expertus enim ſum ex diſſecto cadavere, quod quidem paſſum fuerat apoplexiam, materiam contentam fuiſſe nõ ſolùm in ventriculis, ſed in anfractibus totius cerebri, atq; inter tunicam & tunicam, nec non inter tunicam & nervi ſubſtantiam. Quare à ſimilitudine poſſumus exiſtimare in omni apoplexia conſimiliter cerebrum affectum eſſe. Conſtat igitur affecta loca indicari ab eſſentialiter inhærentibus, effectibus, cauſis, & ſimilitudine. Quos quidem fontes etiam propoſuit Gal. l. art. med. c. 75. Corpora, inquit, ægra cognoſci, ſi ſenſui ſubijciantur, ex permutatione eorum, quæ inſunt ipſis ſecũdum naturam, in magnitudine, numero, figura, ſitu, frigiditate, caliditate, & aliis eiuſmodi. Ecce Galenus proponit ſigna capta ab eſſentialiter inhærẽtibus, quæ potiſsimum locum habent ubi partes fuerint externæ, & immediatè ſenſibiles: & internæ mediantibus exterioribus evidentes: & inquit. Gal. in eodem cap. Quæ autem viſum effugiunt, ut ſummatim dicam. Ecce Gal. proponit ſigna locorum affectorum per compendium, ex opera-

operationum læsionibus, excretis, doloribus, tumoribus & aliis eiusmodi. Dum proponit læsiones operationum, excreta, & dolores, proculdubio signa capit à consequentibus, nempe à læsis operationibus, excretis, ac detentis, atq; ex qualitatibus: Siquidem dolores, quoniam distinguuntur ex Galeni sententia ab operationibus læsis, capiuntur tanquam qualitates mutatæ: Dum etiam proponit excreta, in medium adducit fontem â causis desumptum. Siquidem exereta non tantùm sunt symptomata, sed ut juvant & nocent dicuntur causæ. Et propterea à nobis positæ sunt & in genere affectuum & in genere causarum. Dum proponit Galenus humores, proculdubio in medium affert signum ab essentialiter inhærente. Docui enim ex tumore sinistri hypochondrii interno, duro, lienem affectum significari. Omisit tamen Galenus signa capta à similitudine: tùm quia ibi proponit signa affectorum locorum per compendium: tum etiam quoniam ab eodem signa à similitudine desumpta proponuntur in lib. de offic. medic. Quapropter valeant, qui existimarunt, quatuor non esse fontes signorum, eosquè propositos, ex quibus indicentur loca affecta. Hactenus de signis loci affecti diximus: superest, ut declaremus, quibus signis indicetur locus affectus primariò & quibus demonstretur locus affectus per consensum.

De signis locorum tum primariò tum per consensum affectorum.

Hoc autem ut demonstrare possimus, necesse est prius de modo, quo fiat affectus per consensum, sermonem facere. Ad efficiendum autem hunc affectum sive primariò sive per consensum, necessum est, ut pars sit disposita ad suscipiendum affectum primarium, vel per consensum. Requiritur quoque ut affectus habeat facultatem, quæ aut in parte, in qua primariò fit, firmetur, aut per consensum â parte primò affecta alteri communicetur. Quantum attinet ad dispositionem partis suscipientis affectum, hæc consistit magna ex parte in naturali constitutione, proprietate partium, & consequentibus naturalem constitutionem: aliqua etiam ex parte reperitur in constitutione, vel consequentibus constitutionem p. n. Cùm autem naturalis constitutio constet temperamento & compositione: Quò ad temperamentum pars quantò calidior & humidior, tantò magis est idonea ut afficiatur per consensum. Propterea Gal. l. art. med.c. de signis calidioris & humidioris capitis, cerebrum calidum & humidum facilè, inquit, repleri, & affectibus per consensum ab infernis partibus affici. Partes verò frigidæ & siccæ difficilius afficiuntur affectibus per consensum: & affectus, quos primariò habent, conservare consueverunt. Ideo ossium affectus, ut plurimum primarii, nôn autem per consensum, exsistunt. Quantum attinet ad compositionem, propter situm & connexionem & conformationem

partes

partes per consensum affici consueverunt. Quia collocatur pulmo & ventriculus sub capite, propterea eiusmodi partes à capite facilè suscipiunt excrementa, & per consensum cum capite afficiuntur. Et quia, quemadmodum infra caput collocatur ventriculus & pulmo, ita supra pulmonem & ventriculum collocatur caput: Propterea vapores humoresque tenues caput per consensum cum ventriculo & pulmone facilè afficere consueverunt. Os etsi propter frigiditatem & siccitatem atque duritiem, ut patebit postea, diu conservet suum affectum: ob vicinitatem tamen eundem circumpositæ carni communicat. Quò ad connexum, læso nervo, cerebro communicatur malum: quemadmodũ nervo, mediante spinali medulla, cerebrum connectitur. Dolor ventriculi intestinis, affectus venarum iecori, arteriarum cordi, propter connexum non difficulter communicatur. Partes verò, quæ non connectuntur, difficilius sibiipsis invicem suos communicant affectus. Quò ad conformationem, thorax ob cavitatem, ventriculus pariter ob cavitatem cum capite consentiunt, & facile ab eo excrementa suscipiunt. Difficilius lien & epar, excrementa admittunt: quoniam huiusmodi mẽbra cavitate insigni carent. Conformatio verò non solũ dicitur de cavitate, sed etiam de meatu. Propterea pars quantò plures habet meatus, tantò facilius admittit affectus per consensum: quantò pauciores, tantò

difficilius. Propterea cutis, quia est tanquam cribrum perforata, aut, quemadmodum dixit Plato in Timæo, propter plurima foramina assimilatur nassæ piscatoriæ: ideo non solùm propter situm, sed potissimùm propter porositates facilimè omnium partium affectus per consensum admittit. Pulmo quia habet meatus proprios quam plurimos, & etiam alienos, veluti sunt meatus asperæ arteriæ: idcirco facilè excrementa, & per consensum ea recipit à cerebro. Quantùm spectat ad proprietatem partes; quæ habent facultatem seu proprietatem ad unum opus directam, per consensum facilè afficiuntur: difficilius, quæ facultates habent ad diversa opera destinatas. Ideo iecore laborante tollitur corporis nutritio: corde affecto syncope, destruuntur operationes totius corporis: cerebro laborante, sensus & motus removetur: Vtero laborante, mammæ inficiuntur; quoniam eiusmodi partes habent facultatem & operationem non solùm sibi, sed etiam aliis partibus necessariam. Inter consequentia temperamentum est durities & mollities. Ideo pars quanto mollior & laxior, tantò facilius admittit affectum per consensum: quantò durior ac tensior, tantò difficilius. Verùm dispositio partis ad suscipiendos affectus per consensum constat, quoq; in constitutione p. n. & consequentibus hanc constitutionem: propterea pars calida & humida p.n. admodum idonea est ad suscipiendos affectus per consen-

sum.

ſum. Partes etſi naturaliter ſunt frigidæ, ſiccæ atque duræ, veluti ſunt ligamenta articulorum: attamen dum p.n. afficiuntur & fiunt partes laxæ & molles, veluti in his, qui conſueverunt pati arthritidem, in huiuſmodi etiam partibus affectus p.n. facilè inducitur. Patet igitur, quibus conſtet diſpoſitio partium, qua affectus per conſenſum ſuſcipitur. Requiritur tamen ad efficiendum affectum per conſenſum, ut affectus à parte primariò læſa ad aliam partem per cõſenſum communicari poſsit. Vt autem pateat, quiſnam affectus ſit, qui facilè aut difficulter ab una parte alteri communicetur, ſciendum eſt, affectus per conſenſum, non ſolùm eſſe morbos, ſed etiam cauſas atq; ſymptomata. Inter morbos intemperies calida facilè ab una parte alteri communicatur. Ex inflammatione enim ingvinum, vel alterius partis ortum ducit febris, quæ eſt affectus per conſenſum in toto, ortum ducens, à parte primariò inflammata. Frigiditas non difficulter ab una parte in alteram communicatur. Ideo ſi ex natatione in aqua frigida habitus totius refrigeretur, frigiditas cerebro communicari ſolet; unde cõvulſio & eiuſmodi affectus promanant. Siccitas verò nõ facilé ab una parte alteri cõmunicatur. Ideo ſiccitas, quæ eſt in brachio, tantùm abeſt ut cõmunicetur cæteris partibus, quin potius efficiat, ut cæteræ partes carnoſiores & pinguiores reddãtur. Cõmunicatur tamen aliquãdo ſiccitas nõ propria ratione,

ſed quia reperitur in parte habente proprietatem efficiendi opus publicum. Ideo ſi patiatur ſiccitatem vel ventriculus, vel epar, toti corpori quoque communicatur. Quod dictum eſt de ſiccitate, idem de humiditate dicendum, ut ſcilicet morbus in intemperie humida non facilè ab una parte in alteram transferatur. Quò ad morbos in mala compoſitione, magnitudo aucta, ut ſunt tumores frigidi & duri, ut eſt magnitudo aucta, quæ dicitur caro ſuperexcreta, non poteſt ab una parte ad alteram transferri. Pariter ulcera, ſive ſint ſimplicia ſive ſint compoſita, veluti ſunt contuſiones, fracturæ: pariter etiam dislocationes, ab una parte alteri communicari non conſueverunt. Quò ad cauſas: intelligimus tùm cauſas per ſe, tum cauſas ex accidenti. Cauſæ per ſe ut plurimum ſunt humores & vapores. Humores ſi fuerint tenues, & vapores quoque, facilè ab una parte ad aliam fluunt: difficilius verò humores craſsi, & inter hos craſsiſsimi, affectum per conſenſum pariunt. Quò ad cauſas ex accidenti; ſunt morbi & ſymptomata. Morbus etſi in quantum morbus alicui non communicetur: tamen communicatur in quantum cauſa. Propterea obſtructio ventriculorum cerebri in quantum cauſa communicatur toti corpori, & efficit ut ſenſus & motus tollatur. Obſtructio arteriarum, etſi in quantum morbus non communicatur: communicatur tamen toti in quantum cauſa; quia prohibet totius tranſ-

piratio-

pirationem & cordis eventationem. Morbus in situ pariter in quantum causa, communicari solet alteri parti. Vnde intestinum descendens in scrotum est causa morbi in tumore ipsius scroti. Symptomata verò habentia rationem causæ, potissimum sunt dolores. Dolor, ut patebit, in quantum symptomata, facile ab una parte ad aliam mandatur; In quantum vero causa facilime in consensum trahit partes non dolentes: Ideo dolor colicus syncopen: dolor vehemens ventriculi non solùm syncopen, sed etiam epilepsiam efficere consuevit. Symptomata quoque in quantum symptomata non difficulter aliquando consueverunt ab una parte ad aliam transferri: Et propterea ex dolore colico dolor renum fieri consuevit: ex renali arthritis. Vnde etiam est in vulgari proverbio Italico: Al mal di rene le gotte viene. Patet igitur ex propositis in quo constet dispositio partis suscipientis affectum per consensum: Et constat etiam, qui sit affectus qui per consensum fieri solet. Affectus primarii & per consensum indicantur ex his, quæ parti affectæ essentialiter insunt: nec non ex his, quæ affectibus sunt essentialia. Per ea, quæ insunt essentialiter partibus affectis per essentiam aut consensum, intelligimus dispositionem partis ad suscipiendos affectus aut primarios aut per consensum. In quo verò consistat hæc dispositio superius demonstravimus. Per essentialiter inhærentia affectibus ipsis, intelligimus dispositionem

tionem affectuum, ſecundum quam apti ſunt, ut fiant vel per eſſentiam vel per conſenſum. Dum igitur adeſt hæc diſpoſitio, aut partis ſuſcipientis affectum, aut affectus inficientis partem, proculdubio ſtatim quoque fit affectus vel per conſenſum vel per eſſentiam: & ex prædicta diſpoſitione demonſtratur. Ineſt quoque eſſentialiter affectioni per conſenſum, ut ſit poſterior affectui per eſſentiam. Et ideo hic affectus primarius, ille verò ſecundarius appellatur. Nam affectus per conſenſum eſt poſterior vel tempore, vel natura. Dum igitur poſt unum affectum alius contingit, iudicamus, hunc eſſe per conſenſum, illum verò primarium. Aut ſi affectus per conſenſum non ſit poſterior tempore affectu per eſſentiam; natura tamen eo poſterior eſſe dicetur, ut v. g. eſt convulſio, quæ cruris vulnerati inflammationem ſequitur: Et quemadmodum etiam eſt convulſio & operatio omnis ablata facultatis animalis in epilepſia. Eiuſmodi enim affectiones quamvis tempore non ſint poſteriores aliis: tamen tanquam à natura prioribus pendent. Siquidem operatio ablata animalis facultatis & convulſio totius ſubſequitur cerebri affectum tanquam primarium: Convulſio verò totius ſine ſenſu & aliis operationibus facultatis animalis ablatis, quamvis poſterior non ſit tempore vulnere & inflammatione cruris; natura tamen poſterior exſiſtit. Cognoſcitur etiam affectus per conſenſum ex cauſis fa-

cientibus

cientibus affectum. Si enim occurrant causæ agentes in ventriculum, veluti est cibus, vel qualitate, vel copia, vel alio modo noxius, & ideo lædatur coctio ventriculi, deinde fiat vertigo; quia causæ egerunt in ventriculum, non autem in caput, ideò significatur, affectum ventriculi esse per essentiam, affectum verò capitis, nempe vertiginem, per consensum. Similiter ex causis juvantibus significatur utrum affectus sit per consensum vel per essentiam. Si adhibeantur, v. g. remedia spinali medullæ & collo in paralysi brachii, significatur ex prædictis juvantibus causis paralysin fuisse in brachio per consensum, & spinalem medullam per essentiam fuisse affectam. Et quod dicitur de causis istis juvantibus, quæ à medicis administrari solent: idem quoque de causis juvantibus, quæ sponte in corporibus nostris fiunt, dici debet; ut nempe significent affectus per essentiam & per consensum. Si fiat præfocatio uterina, & consequenter tollatur respiratio: deinde si superveniant menses, & ideo mulier patiens præfocationem sanetur, significatur ex superventibus mensibus uterum primariò affectum fuisse; thoracem verò per consensum. Ex effectibus quoque eiusmodi affectus indicantur. In parte enim affecta per essentiam ut plurimum prius apparent symptomata, quâm in parte affecta per consensum. Solent etiam intermittere affectiones

per

per consensum, veluti intermittit dolor capitis in remißione periodi febrium periodos habentium: affectus verò per essentiam ut plurimum sunt continui: quamvis quandoq; ,rarò tamen, veluti qui fiunt à flatu, per intervalla aliquando contingant, veluti est dolor ventriculi à flatu eiusmodi productus. Cognoscuntur quoque affecta loca per essentiam & per consensum ex comparatione. Nam quia in quibusdam animadversum est propter ingentem famem, qui est affectus per essentiam ventriculi, produci vertiginem, quæ est affectus per consensum cerebri: propterea ubi fit vertigo ex ingenti fame, statim vertiginem hanc iudicamus esse per consensum. Ita quoque e. g. quia compertum est,epilepsiam sæpe prodire ex aura venefica, v. g. à digito pedis: idcirco cùm in præsentia habeam consimilem patentem, iudicare, facta cum aliis comparatione, facilimè potui, hunc quoque patientem detineri epilepsia per consensum. Hactenus de signis indicantis inhærentis, seu de signis loci affecti dictum est: Breviter nunc est dicendum de signis indicantis agentis & patientis, seu de signis indicantis, quantùm agendum & modum agendi: Quæ quidem signa ex prædictis quatuor fontibus facilè desumuntur. Ex essentialiter inhærentibus quidem, quoniam indicans, quod valde agit in materiam remedii & difficulter ab eo patitur, proculdubio est indicans, quod habet vel magnitudinem, quo ad essentiam, seu

De signis indicantis agentis & patientis.

quo

quo ad causam formalem, vel magnitudinem meritò causæ efficientis. e. g. febris ardens morbus est magnus, quatenus est febris ardens secundum hanc suam formam: ideoque magna quantitate frigidæ indiget, ut removeatur. Cognoscitur igitur indicans valde agens ex cognitione magnitudinis meritò causæ formalis. Quomodo autem hæc magnitudo cognoscatur superius docuimus, loquentes de signis quantitatis morborum. Præterea cognoscitur hoc indicans valde vel parum agens in materiam remedii ex essentialiter inhærente magnitudine, secundum causam efficientem, v. g. ulcus extrinsecum cacoëthes non est morbus magnus, nisi ratione suæ causæ: quia ab excremento mali moris producitur. Similiter febris pituitosa in quantum febris non est morbus magnus, sed in quantum producitur à pituita, vel difficulter superatur à medicamentis, magnitudinem continet. Cognoscitur igitur affectus, qui parum vel valde resistit materiæ indicati, si cognoscatur magnitudo causæ efficientis. Quomodo verò hæc innotescat superius docui. Illud tamen est notandum, per magnitudinem efficientis causæ nos non tantùm intelligere magnitudinem causæ permanentis, sed etiam præteritæ. v. g. præcessit causa contundens, quæ vim magnam habuit contundendi: propterea ex hac causa significatur, factam esse contusionem, quæ valde resistit juvantibus. Præterea desumuntur indicia

indi-

Indicantis agentis & patientis non tantum ex propria eſſentia ſeu ex eſſentialiter inhærentibus, ſed etiam ex aliis cauſis, inter quas quidem potiſsimùm eſt partis affectæ ſitus & conformatio eiuſdem v. g. Si indicans reperiatur in parte remota, veluti eſt calculus, qui reperitur in renibus, ſignificatur ex renibus, quorum ſitus valde diſtat à juvantibus, quæ ore capiuntur, calculum eſſe indicans, quod valde reſiſtit medicamentis frangentibus & expellentibus calculum. Quod ſi indicans fuerit in parte proxima, ex ſitu huius partis ſignificatur indicans, quod minùs difficulter ſuperatur, quàm indicans quod reperitur in parte remota. Vnde non eſt mirum, ſi Gal. 1. ad Glauc. 2. dicat, in affectibus partis remotæ augendam eſſe quantitatem medicamentorum. Verùm non tantùm ex ſitu, ſed etiam ex conformatione ſignificatur indicans, quòd vel parùm vel multùm reſiſtit materiæ indicati. Per conformationem intelligo meatum & cavitatem, nec non etiam figuram. g. e. ulcus quod reperitur in gula, propterea quòd reperitur in proxima parte, ideo non eſt indicans admodum reſiſtens medicamentis exſiccantibus & detergentibus. Non ſolùm ſitus ſed figura atque meatus partium ſignificant utrum affectus facile vel difficulter ſuſcipiat juvamẽtum à medicamentis. Vlcus enim gulæ quoniam reperitur in parte, habente rectam figuram & meatum

tum amplum, quamvis facilè suscipiat medicamenta, eadem tamen cum difficultate detinet, & consequenter à medicamentis parùm juvatur. Præter has causas habent quoque locum causæ facientes affectum, quæ pariter denotant, utrum affectus facilè vel difficulter patiatur à remediis. Aër valde calidus efficiens febrem, & factam conservans significat febrem, quæ admodum resistit remediis frigidis. Propterea Gal. 9. method. 14. inquit, si aër foveat febrem, intensiora & plura sunt frigida administranda. Si verò aër calidus efficiat quidem febrim, vertatur tamen postea in frigidum, significatur ex aëre præcedenti genitam esse febrem, quæ frigidis remediis non admodum resistit. Et quod dictum est de aëre, idem uno verbo dicendum est de omnibus causis producentibus effectum, et quantò plures sunt, diutius & vehementiùs agunt, effectum inducunt & significant, qui valde resistit causis juvantibus: prout autẽ causæ sunt pauciores, brevius agentes & minùs intensæ; ita etiam significant affectum, qui non admodum resistit juvantibus. g. e. si ex consuetudine potionis aquæ frigidæ, ex natatione in eadem aqua, ex mora in locis aquosis, ex usu piscium, & plurium aliarum causarum refrigerantium & humectantium introducatur cachexia vel hydrops; absque dubio ex præteritis

ritis causis multis valde ac diu agentibus significatur affectus; qui admodum resistit causis calidis & siccis. Pariter ex symptomatibus significatur affectus, qui aut valde aut parùm resistit remediis. Prout enim symptomata sunt plura, vehementiora,& magis diuturna: ita etiam significant affectum, qui valde resistit juvantibus. Quod si symptomata sint pauca, non valde perdurantia, neque vehementia, significatur affectus, qui parúm agit in medicamentum, & facile ab ipsis superatur. Potissimum tamen inter causas significantes hunc affectum habent locum juvantia. Nam si g. e. ex usu paucæ frigidæ, appareat ardentem non remitti, significatur eandem valde resistere frigidæ, & multa frigida indigere. Et propterea Gal. 3. Method. 5. dum animadvertit ex pauca quantitate misy, & aliorum eiusmodi detergentium ulcus non detergi, quantitatem eorum adauget. Significatur enim ex pauca quantitate misy, & aliorum eiusmodi, ulcus adeò sordidum esse, ut valde resistat detergentbius. Habent quoque locum signa sumpta ex comparatione. Nam quoniam expertum est, ulcus v. g. gulæ difficulter juvari à medicamentis detergentibus: & lapidem renum difficile juvamentum sumere ex medicamentis lapidem frangentibus & educentibus: idcirco si nobis occurrat aliquis vel ulcere gulæ, vel lapide renum affectus, statim quoque iudicabimus, ipsum affectu detineri, qui valde resistit juvantibus

tibus, Postquam de signis indicantis agentis in materiam remedii, & patientis ab ea diximus, modò de signis indicantis præsentis, seu de signis indicantis tempus opportunum agendorum est agendum. Hæc autem signa prognostica dici debent: siquidem ex prognosticis habetur, utrum morbus removeri posit, vel non, & quando, & alia eiusmodi. Et quoniam signa prognostica vel attinent ad corpora ægra, vel ad sana, vel ad neutra, vel ad convalescentia, nos de spectantibus ad hominem ægrum dicemus. Neque enim in præsentia institutum nostrum est quærere, utrum longo vel brevi tempore in corpore sano sanitas conservari debeat. Neque etiam quærimus, utrum convalescentia vel in recidivam, vel in sanitatem verti posit. Hoc enim scire & alia eiusmodi cognoscere spectat ad methodum semioticam inservientem methodo de tuenda sanitate. Nos autem in præsentia versamur circa methodum semioticam inservientem curatrici, in cuius quidem methodi parte prognostica scire oportet, an morbus solvi posit, vel non. Dantur enim morbi, qui nec occidunt, nec unquam sanantur, sed homines comitantur usque ad mortem. De quibus quidem morbis scire etiam oportet, utrum eundem semper servare debeant tenorem, vel aliquando mitiores fieri, aut augere. Quod si morbi fuerint eius generis, qui aliquando solvuntur, scire expedit, utrum solvi debeant ad salutem, vel ad

De signis indicantis præsentis.

mortem: & utrum brevi vel longo tempore. Hæc & alia eiusmodi, de quibus diligentissimè Gal. egit in lib. de præsag. ex pulsib. sunt nobis explicanda. Necessaria enim est hæc methodus de signis prognosticis: siquidem alio modo tractantur solubiles, & alio insolubiles. Et qui solvuntur cum interitu, soli prognostico: qui etiam ad salutem sponte terminantur, seu per crisin, quemadmodum etiam lethales, solis prognosticis relinquuntur. Qui verò sponte non sanantur, egent remediis. Ideo videre oportet, utrum per crisin, vel alio modo sanari possint. Et cum morborum salubrium aliqui sint breves; quidam longi: pariter quoniam eiusmodi morbi inter se diversi diverso modo tractantur: ideo necessarium est quoque præsagire, qui breves, & qui longi morbi sint futuri. Antequam ad signa prognostica explicanda descendamus, prognosticum signum in genere, de quo sermo habetur est definiendum.

Definitio signi prognostici.

Et quamvis dici possit, id omne esse, ex quo futurum in ægrotante prædicitur: nihilominus, si exactius definiatur, dicendum est, signum prognosticum esse medium terminum syllogismi, futurum in ægro indicans ex suis fontibus, à dogmaticis depromptum. Est enim medius terminus. Nam Arist. 2. prior. 3. signum, inquit, omne super inventione rei prædicari secundum tres modos, veluti quoque fit prædicatio ab aliis terminis mediis in tribus figuris.

figuris. Et quoniam in prima figura prædicatur medius de minori, & subijcitur maiori extremitati, veluti videtur ex Aristotele in signis demonstrativis, dicere possumus; omne habens lac, peperit, Hæc autem mulier habet lac. Ergo peperit. Habere lac est signum seu terminus medius, quo hanc mulierem peperisse indicatur. In demonstrativis exemplum erit huiusmodi. Omnis homo habens dolorem lateris, tussim, febrem, difficilem respirationem, patitur pleuritiden. Hic homo habet hæc symptomata, Ergo detinetur pleuritide. His enim quatuor symptomatibus, tanquam termino medio, demonstrat hunc patientem esse pleuriticum. Verùm signum prognosticum distinguitur à memorativo & demonstrativo, quia prognosticum est terminus medius, quo futura prædicuntur: Memorativum quo præterita in memoriam revocantur: Demonstrativum, quo præsentia significantur. Verùm signum prognosticum, de quo in præsentia agimus, demonstrat futurum in corpore ægro, ad differentiam prognostici prædicentis futura in corpore sano & in neutro, velut etiam in convalescente. Est inventum signum prognosticum mente, ac sensu, quamvis nonnihil confirmetur memoria: Siquidem ex præteritis causis, quæ in memoria præsentes sunt, futurorum quoque habentur prædictiones. Capitur signum prognosticum ex suis fontibus, qui sunt illa

quatuor, quæ etiam competunt aliis generibus ſignorum, veluti demonſtrabitur inferius. Tradita hactenus eſt definitio ſigni prognoſtici per tria genera cauſarum. Nam cauſa materialis huius ſigni eſt, ut hoc ſignum ſit medius terminus: formalis, ut futurum prænunciet: efficiens, eſt mens, ratio, & memoria, qua dogmatici utuntur. Datur quoque materia ex qua; ſiquidem prognoſtica capiuntur ex ſuis fontibus. Tacetur finalis cauſa: quoniam competit hæc omni parti ſemioticæ, ut non tantùm prognoſtica, ſed demonſtrativa, & memorativa, propter curatricem partem ſint inventa. Nam pro diverſitate eius futuri, quod prædicitur, & pro diverſitate facultatis ſigni prognoſtici, & pro diverſitate fontium, à quibus emanant hæc ſigna, variæ quoque differentiæ prognoſticorum ſignorum capiuntur, ſunt enim alia ſigna ſalubria, nonnulla lethalia, quædam inter hæc media. Salubria futuram ſanitatem, lethalia mortem, media inter hæc neque mortem, neque ſalutem, ſed morbum, qui comitatur homines uſque ad mortem, ſignificant. Lethalia verò quædam abſq; additione lethalia nuncupantur: nonnulla verò valde lethalia dicuntur: Et hæc ſemper mortem futuram præ indicant: illa verò ut plurimum evenientem ſignificant; quemadmodum nos docuit Galenus, 1. de criſib. 3. Signa autem ſive ſint lethalia, ſive ſalutaria, vel longitudinem, vel brevitatem morbi futurã demon-

monstrant. Illa dicuntur signa morborum chronicorum, hæc verò brevium: quorum alia sunt acutorum morborum signa, alia verò brevium non acutorum. Cumq; signorum alia, quæ denotant morbum solvi debere, sive solvatur ad salutem, sive ad interitum, denotent morbum solvendum esse, vel per mutationem sensim factam, vel per mutationem subitò genitam: propterea illa signa coctionis & cruditatis, hæc verò signa critica appellantur. Atque ut uno verbo dicam, signa prognostica varias accipiunt denominationes, prout varia futura præindicant. Cumq; nonnulla ad significandum certiora sint quàm alia, idcirco hæc minus certa, incertæ prædictiones: certiora verò certæ prædictiones à medicis appellantur. Sunt etiam varia signa prognostica, prout alia capiuntur ab essentialiter inhærentibus, & quædam ab aliis fontibus, veluti postea patebit. Descendamus itaque ad signa prognostica capta ab essentialiter inhærentibus. Quod morbo essentialiter inhæret, est ipsa constitutio p. n. quæ, in quantum talis, nihil indicat eorum, quæ futura sunt. Indicat enim morbus futura, in quantum talis & tantus est, seu quemadmodum nos docuit Gal. 1. de crisib. 3. indicia futurorum in morbo capiuntur ex specie & magnitudine morbi. Nam g.e. morbus etsi in quantum calidus vel frigidus, neque futuram mortem aut salutem præindicet: calidus tamen futuram brevitatem denotat, siccus

Signa prognostica ab essentialiter inhærentibus.

verò longitudinem. Gal. in 6. Methód. 5. longo tempore ſanari poſſe exiſtimauit morbum ſiccum. Si diſcurramus circa morbos in mala compoſitione, morbus in magnitudine diminuta longitudinem præindicat: in magnitudine aucta nihil indicare videtur: ſecundum tamen eius differentias varia indicabit, veluti conſtabit poſtea. Morbus in figura ut plurimùm morbum inſolubilem, qui comitetur uſque ad interitum, ſignificat. Et ideo gibboſi, habentes crura tortuoſa, etſi morbo lethali non detinentur: detinentur tamen inſolubili, qui eos uſque ad mortem comitatur. Potiſsimum tamen quantitas morbi ſignificat, quæ futura ſunt. Omnis enim morbus magnus vitæ periculum futurum eſſe ſignificat. Si morbus eſt parvus, ſalus eſt expectanda. Et non ſolùm tota morbi eſſentia, ſed eius pars, quæ futura ſunt, indicat. Acceſsio enim de tertia in tertiam, brevem: quotidiana, longum: de quarta in quartam, longiſsimum futurum eſſe morbum prædicit. Acceſsiones, quæ ſemper anticipando procedunt, magis affligunt, & diutiùs durant: proximum eſſe ſtatum, & morbum futurum brevem indicant, ſi cum ſignis coctionis iungantur, ſalutarem: Si verò ſignis cruditatis annectantur: morbum futurum eſſe lethalem demonſtrant. Acceſsiones, quæ poſtponendo, minùs affligendo,

do, brevique perdurando, invadunt, ſignis coctionis annexæ, breviſsimum fore futurum morbum, ac iam eſſe proximum declinationi, demonſtrant. Acceſsiones verò, quæ eundem ſervant tenorem, cum ſignis cruditatis, morbum longum, & in initio: cum ſignis coctionis, in ſtatu, & brevem futurum demonſtrant. Magnitudo quoque ratione partis, in qua reperitur morbus, futurum præindicat. Omnis morbus, quamvis etiam minimus ſub ratione propriæ eſſentiæ, magnus tamen, quatenus reperitur in parte præſtanti, morbum etſi non valde lethalem, lethalem tamen ſignificat: g. e. puſtula in pulmone, quæ, quatenus reperitur in cute, turpitudo potius, quàm morbus, dicitur; quia tamen in pulmone, parte nempe valde vitæ neceſſaria, reperitur, eſt morbus lethalis. Magnitudo ratione cauſæ etiam præindicat, quæ futura ſunt: quoniam ratione cauſæ morbus alius malignus, alius verò benignus appellatur. Propterea morbus benignus quidem ſolutionem, eamque ad ſalutem pollicetur: Malignus vero infidum, & interitum minatur. Ratione ſubiecti, in quo morbus fundatur, prædictiones capiuntur. Morbi enim, etſi leves ſunt, quia tamen interdum in corporibus debilibus reperiuntur, propter imbecillitatem ſubiecti, validi & lethales fieri conſueverunt.

Vulnus parvum, quoniam aliquando tangit cerebrum, lethale eſt futurum. Capiuntur quoque indicia, ex magnitudine morbi, quatenus morbus reſpectu effectuum, quos producit, eſt magnus. Propterea morbi, qui magna, multa, & diu durantia habent annexa ſymptomata, utplurimum lethales eſſe ſolent & peracuti: Qui verò pauca, debilia, nec diu durantia habent ſymptomata, breves & ſalutares eſſe conſueverunt. Capitur quoque prognoſticum ex magnitudine morbi, prout morbus dicitur magnus, quoniam facultati totum regenti admodum adverſatur. Si enim morbus huiuſmodi habeat magnitudinem, aut valde periculoſus, aut etiam valde lethalis exſiſtit. Qui verò hac magnitudine caret, ſalutatis eſſe ſolet, & à natura per criſin ſuperari. Magnitudo ratione etiam juvantis quid futurum ſit de morbo, prædicit. Nam ſi morbus à juvantibus, aut à natura non ſuperatur, aut inſolubilis aut lethalis fieri conſuevit: Qui difficulter vincitur, longus: Qui facilè, brevis & ſalutaris eſſe conſuevit. Capiuntur etiá ſigna prognoſtica à ſecundo fonte ſignorum, nempè à cauſis, quarum aliæ concurrunt ad efficiendum, vel conſervandum morbum, nonnullæ verò juvantes dici conſueverunt. Inter cauſas efficientes, vel conſervantes morbum, quæ etiam vincentes appellantur, nonnullæ ſunt internæ, quædam verò externæ: Internarum aliæ ſunt corpora ſolida, quædam fluida, nonnulla verò impetentia.

Signa prognoſtica à cauſis.

petentia.

petentia. Morbi à corporibus ſolidis geniti, inter quæ corpora ſunt lapides, tophi, ſuffuſiones, & eiuſmodi alia, ut plurimum ſunt inſanabiles, & homines uſque ad mortem comitantur: niſi tamen eiuſmodi corpora ſint valde parva, & aliqua cum difficultate corrigantur, veluti ſunt parvi calculi, qui per urinas, aut arte, aut à natura excerni conſueverunt. Et ſuffuſio, quæ parva eſt, quamvis non curatur, in alterum tamen angulum oculi ſumma cum difficultate reponitur. Quod ſi internæ cauſæ ſint corpora fluida, atque eiuſmodi corpora ſui ſubſtantia noceant, fiunt ut plurimum morbi, qui lethales eſſe ſolent, veluti ſunt febres malignæ, quæ à maligna putredine humorum proficiſcuntur. Si morbi producuntur ab humoribus copia adverſariis, longi, & quandoq: etiam lethales fieri ſolent: Quando nempe propter humorum redundantiam virtutis contingit ſuffocatio, & caloris nativi extinctio. Morbi verò, qui à minùs abundantibus humoribus fiunt, cæteris paribus, minus longi, & magis ſalutares eſſe ſolent: Qui ab humoribus calidis, breves & acuti: Qui fiunt à frigidis, longi exſiſtunt. Et ſi de ſingulis humoribus ſermo fiat, ex humore atrabilari morbi lethales proficiſcuntur: ex naturali melancholia, longi: ex bile æruginoſa, ſemper lethales: ex porracea & vitellina, ut plurimum lethales: ex flava & pallida, ut plurimum ſalutares morbi: atque ex omni ſpecie bilis acuti

fieri consueverunt. Ex sanguine verò saluberrimi morbi fiunt : dummodò sangvis maligna putredine non afficiatur Si sermo fiat de impetentibus, morbi qui producuntur à spiritibus brevissimi & saluberrimi esse solent, veluti est ephemera. Quòd si de causis externis producentibus morbos loquamur, eiusmodi causæ quantò diutiùs & vehementius agunt, & maligniores sunt, eò affectum, quem induxerunt, pernitiosiorem significant: quantò verò remissius & breviùs agunt, & quantò benigniores causæ, tantò affectum, quem inducunt, magis salubrem futurum esse prædicunt. Non enim, g. e. quod vulnerantia morbum intulerunt, salutem aut mortem præsagimus : vel quod causæ vulnerantes vehementes vel pravæ & malignæ, vel benignæ extiterunt. Salutarem quidem & brevem morbum credimus esse futurum, si leviter vulnerantia, nullo infecta veneno, morbum produxerint. Quod si validè vulnerantia, venenoque infecta morbum effecerint, hunc futurum esse lethalem & peracutum judicamus. Quapropter aër venenatus, quia validè, malignè & diu agit, ideo febres pestilentes, carbunculos, & eiusmodi alios morbos lethales & acutos producit & significat. Quòd si aër agat per qualitates manifestas, minùs lethales & sæpe salutares morbos efficere solet. Quod dicitur

citur de aëre, idem de cibo, potu, somno, & aliis eiusmodi causis dicendum; ut nempe morbum, quem producunt, vel brevem, vel longum, vel salutarem, vel lethalem significent: Et propterea cibi biliosi, breves & acutos; melancholici, longos producunt & significant. Potissimum autem causæ externæ validè agentes & malignè, & in corpore, in quod agunt, permanentes, morbos lethales producunt & significant, veluti est aër pestilens, qui non solùm agit in nobis, sed etiam, dum ingreditur humanum corpus, in sui substantiam vertit spiritum vitalem, & in corpore agendo conservatur. Similes externæ causæ, quæ fiunt internæ & in corpore permanent, veluti pila bombardæ, truncus infixus, & consimiles causæ, quæ aut morbos, quos pariunt, lethales futuros esse, aut saltem longos prædicunt. Iuvantes quoque causæ inter signa prognostica collocantur: Propterea si somnus juvat in morbis, dicit Hippocrit. 2. Aphorism. 1. signum esse morbos non esse lethales. Quod dicitur de somno, idem debet dici de omni alia causa juvante. Nam valet consequentia, à quatenus tali ad omne. Somnus quotiescunque juvat, est signum non lethale. Ergo omnis causa juvans est signum non lethale. Si itaque v. g. pharmacum, sive alterans, sive evacuans, vel victus, aut alia eiusmodi caussa, quæ juvare debet, juvet, capitur

pitur indicium morbi, qui quidem futurus est non lethalis. Potissimum autem significant causæ, quæ juvare deberent, & non juvant, & sine dubio indicant morbum futurum esse lethalem. Propterea dicebat Hippocrates: In quo morbo somnus, qui deberet juvare, non juvat, sed labores facit, est signum lethale. Quod dicitur de somno ab Hippocrate, de omni alia causa, quæ juvare deberet, & non juvat, sed labores facit, est dicendum: ut nempe hæc sit signum lethale. Per eiusmodi autem causas, quæ deberent juvare, & non juvant, intelligimus tàm causas externas, quàm etiam internas. Et per externas possumus intelligere ea omnia, quæ rectè administrata juvare deberent, sive hæc attinent ad chirurgiam, sive ad pharmaciam, sive ad diætam. Hæc enim omnia rectè administrata quando laborem faciunt, significant affectum futurum esse lethalem. Quod dicitur de his causis externis, quæ juvare deberent, idem dici debet de internis. Inter internas autem causas juvantes est ipsa natura. Morborum enim non tantùm remediũ, sed etiam natura est curatrix causa. Per naturam autem intelligimus potissimum facultates naturales: et præsertim facultatem expultricem, & concoctricem. Si enim natura tentans expellere, quod nocet, non juvat, sed laborem facit, significatur affectum esse lethalem. Propterea si superuenien-

veniente vel diarrhœa, vel sudore, vel fluxu sanguinis, non tantùm morbi non tollantur, aut mitiores evadant; sed potius validiores fiant, vel eorum symptomata augeantur, significat futuros morbos valde lethales. Quod dicitur de natura seu facultate expultrice, idem debet dici de coctrice. Si enim in augmento, & præsertim in ultima parte augmenti, quando natura aggreditur concoctionem, & eam manifestam reddere consuevit, fiant symptomata mox apparentia valde valida & multa, significatur ex hac natura, concoctionem aggrediente, finem tamen non consequente, morbum esse malignum, & futurum esse lethalem. Inter alia, quæ cum juvare consuevere & non juvant, & rationem signi lethalis obtinent, est ipsa virtus. Quemadmodum enim docuit Gal. 4. de præs. ex pulsib. 11. Si facultas potest morbum, quousque viget, sustinere, superstitem esse hominem necesse est; præsertim si nullus contingat error: Quod si virtus eundem non potest sustinere, ut æger moriatur oportet. Quomodo autem eiusmodi virtus cognoscatur, constabit ex sermone de signis indicantis vitalis. Quantum attinet ad ea, quæ consequuntur morbum, quæquè symptomata dicuntur; actio læsa nec mortis nec salutis est indicium futurum, sed quæ multùm aut parùm à naturali statu recesserit. Vehemens enim sitis in senibus, hyeme invadens, corporaq; eiusmodi pituitosa affligens,
est

est signum lethale: quoniam patientes valde à naturali statu recedere significat. In biliosis verò sitis est salutaris, & bona; quod proximam crisin, & minorem eversionem vel recessum à naturali statu indicet. Quod autem dictum est de siti, idem dici debet de magnis & parvis excessibus omnium operationum, & potissimum partium præstantium. Magna enim vitia in pulsu, sanguificatione, operibus præcipuis cerebri, sensu, & motu, veluti respiratione, futuram prædicunt mortem. Minus subest periculum, si parva fuerint harum operationum vitia. Et si tantum sensus & motus unius partis vehemens sit vitium, ut est paralysis brachii, aut cruris, periculum de morte nullum adesse putandum est. Non tamen singularum aliarum operationum magna læsio, in significanda salute & morte, æqualis est momenti. Magnam enim vim ad significandam mortem habet insignis læsio respirationis & pulsus: minorem verò aliarum operationum vitia. Necesse quoque est, ut diu pulsus & respirationis vitia perdurent, si futuram mortem prædicere debent: Et ideo in præfocatione, quamvis valde lædatur respiratio; & in cardialgia, & in lipothymia, quamvis vehementer lædatur pulsus, quoniam tamen hæc actionum vitia magna non diu durant, propterea nec ab ijsdem vitiis omninò certæ mortis prædictiones desumuntur. Inter alia symptomata sunt

excreta

excreta, à quibus ſalutis & mortis indicia deſumuntur. Cocta enim excrementa citò futuram ſanitatem pollicentur: quæ habent aliquod veſtigium coctionis, incertum eventum: & ſi diu durent, longitudinem & magnitudinem morbi prædicunt: Et ſi excrementa cruda fuerint & peſsimæ qualitatis, proximam eſſe mortem oſtendunt. Idcirco urina, ſtercora, ſputaque cruda, peſsimis qualitatibus affecta, ſunt ſigna valde lethalia. Quòd ſi eiuſmodi excrementa mortem non indicant: morbi tamen aut inſolubilitatem, aut ſolutionis diffecultatem prædicunt. Et ideo ſanies virulenta, quæ ab aliquo excernitur ulcere, eiuſdem ſolutionis difficultatem aut impoſsibilitatem demonſtrat. Verum quidem eſt, quod ſigna prognoſtica immediatè non capiuntur ab excretis; quandoquidem hæc prius, operationes vel parùm, vel multum, vel nihil recedentes à naturalibus & conſuetis ſignificant: quibus mediantibus, gradum morbi, ſeu ſummum, ſeu parvum eius receſſum à naturali ſtatu indicant, hiſque omnibus mediantibus futurum eventum ſalutis vel mortis prædicunt & ſignificant. Cruda enim excrementa, & potiſsimum affecta peſsimis qualitatibus, admodum recedere à coctione; cocta nihil; ſemicocta parum eandem coctionem recedere à naturali ſtatu, indicant; cumq; eiuſmodi coctiones proficiſcantur à conſtitutione, eandem vel multùm, vel parùm, vel nihil

recedere

recedere à naturali, & tandem futurum quoque eventum ſalutis vel mortis, demonſtrant. Significant autem excremẽta ſuis qualitatibus, quantitate, excretionis natura, tempore, loco,& ordine. Excrementa enim quæ habent bonas qualitates, quæ facilè, copiosè, per loca convenientia, & ordinatè fluunt, futurum eventum ſalutis indicant: contraria contrarium ſignificant. Idcirco Hippocrates 4. Aphoriſ. 22. Excreta nigra, ſive ſurſum, ſive infrà exierint, ſtatuit eſſe ſignum lethale; quòd eiuſmodi excrementa peſſima qualitate ſint prædita. Et Gal. in comm. 4. Aphor. 2. fætentia excrementa inſignem corruptionem & mortem futuram oſtendere inquit. Quo ad quantitatem, quamvis Hippoc. 1. Aphoriſ. 23. deiectiones dicat, non multitudine exiſtimandas eſſe: Gal. tamen in comm. animadvertit ſenſum ſententiæ Hippocraticæ eſſe talem: Deiectiones non ſolùm multitudine, ſed etiá qualitate eſſe æſtimandas; ſiquidem ſi totus humor coctus à natura expellatur, citò futuram eſſe ſalutem ſignificet: ſin paucus, longiori tempore eventuram eſſe demonſtratur. Quo ad tempus, in principiis morborum, excreta omnia, aut longitudinem & magnitudinem, aut mortem ſignificant. quemadmodum denotat Gal. in comm. Aphoriſm. Si enim fluant in principio morbi, & virtus eius ſit robuſta, morbus longus ſignificatur: Si imbecillis, lethalis. Tempore coctionis & in die critico dum fluunt

excre

crementa, proxima ſanitas ſignificatur. Quo ad locum, omnia ſanguis exiens per partes ſuperiores malum eſt indicium: bonum ſi per uterum, hæmorrhoides criticè fluat. Quo ad ordinem, dicebat Hipp. 2. Aphoriſ. 10. in profluviis alvi excrementorum mutationes juvare. Notat enim Gal. in comm: veram eſſe ſententiam Hippocratis, ſi excrementa varia non ſimul ſed ordinatè & ſucceſsivè excernantur. Sic enim ſignificatur, naturam valere, quæ vicit humores, eosq; ordinatè & ſucceſsivè expellere potuerit. Secus autem ſi omnia ſimul excrementa & inordinatè fluant. Denotatur enim virtus, quæ quidem valde irritetur à variis excrementis, ea autem vincere non poteſt, neque ordinatè & unum poſt aliud expellere. Symptomata in qualitate mutata ſignificant futurum eventum in morbis. Eiuſmodi autem ſymptomata ſunt qualitates ſenſus tactus & aliorum ſenſuum. Itaq; frigiditas extremarum partium diu permanens eſt ſignum lethale: quoniam denotat, calorem extingui, & eum amplius reſarciri non poſſe. Qualitates quoque ſecundæ veluti eſt craſsities, tenuitas, durities, mollities, & aliæ eiuſmodi qualitates ſuas præbent prædictiones. Longæ febres illæ futuræ ſunt, in quibus corpora non extenuantur, ſicut docuit Hipp. 2. Aphoriſ. 18. Plus verò attenuari, quàm deceat, virium imbecillitatem & futurum vitæ periculum denotat. Durities omnis vel morbi lon-

gitudinem vel insolubilitatem, vel deniq; mortem prædicit. Durities scirrhi prædicit affectum esse insolubilem. Durities in fistula affectum difficulter sanari ostendit. Durities in tabe mortem futuram indicat. Quò ad alias qualitates, si modò unus color, modò alius in morbo contingit, morbi significatur longitudo, quemadmodum docuit Hipp. 4. Aphoris. 40. Et 7 eiusdem 50. Siquidem varii colores cutis ex variis dependent causis, quæ non nisi longo tempore removeri possunt. Color flavus in febre ardenti ante diem septimum invadens est signum malum, veluti docet Hipp. 4. Aph. 62. quoniam hic color seu icterus flavus denotat vel inflammatum esse iecur, vel obstructum, & ideo vel lethalem vel longam futuram esse febrem prædicit: Post septimum verò diem hic color contingens bonum est signum, nisi hypochondrium dextrum obduruerit. Significatur enim corpus critce expurgari. Lividus color est signũ lethale; ideo Filiscus, ut dixit Hipp. 3. in 1. de mor.v. 19. cuius extrema in quinta fuerunt livida, ob id in sexta periit. Hipp. 2. Epidem. 75 multos in ea pestilenti constitutione, quorum extrema fuerunt livida in quarta, interemptos fuisse in sexta testatur. Et Gal. in comm. eiusmodi colorem pessimum esse signum inquit; quoniam calore influente partes externæ privantur, qui amplius ad eas redire nõ potest; ad differentiam caloris lividi, & frigiditatis quoq;, quæ initio febrium tertianarum contingit. Nam etsi eiusmodi

modi color in earum febriũ initio & rigore apparet, quare nihilominus tunc neq; eiusmodi color, neq; frigus in his febribus diu durat, neq; etiam eiusmodi signa sunt lethalia. Quoniam etsi fiunt ex privatione caloris, non tamen hæc longo tempore perdurant; siquidem ablato rigore ad partes extremas fluit calor naturalis. Hipp. quoq; 2. in 3. epid. textu 9. refert historiam cuiusdam adolescẽtis, qui cùm haberet extremitates in tertia die lividas, ob id in septimo periisse. Livor itaq; seu lividitas non solùm est signum lethale, sed etiam denotat citò ægros morituros esse. Et quamvis eiusmodi adolescens perduraverit usq; ad septimum, nihilominus notat Gal. in comm. eum in septimo obijsse. Quoniam cum viribus fuerit validis, protracta fuit mors usq; ad septimum. In his verò, qui imbecilles sunt, significatur ex lividitate, aut sequenti die, aut paulò post mortem secuturam. Et ideo 2. Prog. 8. dicit Hippocrates, si partes extremæ sunt lividæ, continuò mors est expectanda. Minus malum signum est extremitatum color niger; siquidem partes nigrescunt, aut quia nigra materia eò decumbit, aut quoniam moriuntur. Itaque ex colore nigro indicatùr vel futurus abscessus, vel mors. Quare si livida & frigida sit atq; extenuata facies, oculi cavi, nares acutæ, tempora collapsa, ægrum statim moriturum significant; quemadmodum Hipp. docuit & Gal. 1. de off. med. & ubiq; in libris prognosticis: Et ideo idem Hippoc. 2. in 6. de morb. vulg. 34. In vincentibus

malis; inquit, si facies fuerit bona, signum est optimum: in parvis verò facies bonæ contraria, est signum malum. Et per bonam explicat Galenus naturali similem; per malam, dissimilem. Et ideo 1. Progn. 5. inquit Hipp. Si facies est benè valentibus similis, bonum, si contraria, malum. Notandum tamen est, ne eiusmodi facies Hippocratica ab externis causis procedat, ut propter vigilias, immodicũ fluxum, vel alvi, vel aliarum partium, propter famem vel mœstitiam, vel alias eiusmodi causas. Hæc enim facies minùs est mala, quàm ea, quæ pendet à causis intrinsecis & non evidentibus. Et ideo eiusmodi facies exitiosa seu cadaverosa dicitur. Potissimum autem est exitiosa, quando in initiis morborum contingit. In morbis enim longis eveniens est minùs mala. Senibus pituitosis, in aëre frigido constitutis, hæc facies minùs mala. Propterea optimè dixit Hippocrates: In morbis minùs periclitantur, quorum naturæ morbus convenit, ætati, tempori, quàm quibus non convenit. Cùm itaq; hæc facies sit similis faciei senum eorum, qui abundant pituita, propterea hæc facies, si accidat in eiusmodi ægrotantibus, est minùs mala. Potissimum ex qualitatibus signum est lethale privatio splendoris oculorum. Dum enim oculi fiunt squalidi, quemadmodum docuit Hipp. 1. Progn. 10. significatur calorem innatum extingui & mortem proximam esse. Inter alias qualitates est sapor. Amarus enim

nim ſapor futuros morbos eſſe breves; acidus, longos & curatu difficiles oſtendit. Habet etiam locum inter ſigna prognoſtica comparatio. Si enim contingat graſſari vel variolas vel dyſenterias lethales, ſtatim ac videmus quendam conſimilibus morbis correptum, judicamus, facta eius comparatione cum aliis, ipſum quoque moriturum eſſe. Et Gal. 2. de differ. febrium; facta comparatione omnium labotantium tertiana febre, ſtatuit febres quoque die invadentes carere periculo: quod etiam docuit Hipp. 4. Aphoriſ. 46. non ſolùm de febribus tertianis, ſed etiam de omnibus intermittentibus. De ſignis prognoſticis in univerſali hactenus egimus, nunc de ijs particulariter eſt agendum. Horum enim nonnulla denotant diem & horam ſolutionis morbi: aliqua prædicunt, ex quibus cauſis morbus ſolvendus ſit: alia verò nonnulla ſigna prognoſtica aliorum futurorum prædictiones afferunt: de quibus omnibus eſt agendum, & inprimis de ſignis diei & horæ, qua ſolvitur morbus, dicemus. Cognoſcitur autem dies ſolutionis morbi ex natura morborum. Nonnulli enim morbi ſtatim ſolvuntur, ut febris ſynochus ſine putredine, quæ venæ ſectione & ſanguinis evacuatione ad animi uſque deliquium ſtatim jugulatur. Dolor colicus iniecto clyſtere ſtatim ſolvitur. Luxatæ partes ſtatim reponuntur in proprium ſitum. Morbi in numero aucto facta abſciſione tolluntur. Pariter morbus in magnitu-

dine aucta,quemadmodum est caro superexcrescens,ex abscisione statim removetur. Morbus etiam in annexu,veluti quando vel invicem palpebræ annectũtur, vel genæ axillis,hîc, inquam, morbus statim removeri solet. Et ut uno verbo dicam,omnes morbi,quorum causa contentiva, vel coniuncta statim auferri potest,statim quoq; solvuntur. Alii morbi uno die tolluntur, veluti est ephemera. Solvitur quoque fortis apoplexia, ad interitum tamen, unica die: nec non etiam angina, quæ cynanche dicitur. Sunt alii morbi, qui plures requirunt dies,ut solvantur.Synoch9 sine putredine, nisi sanguis evacuetur, usque ad animi deliquium, perdurat usque ad quartum: febris tertiana usque ad decimum quartum. Et ut dicebat Hippocr. 2 . Aphoris. 2 4. iudicantur acuti morbi quatuordecim diebus.Ex natura itaque morborum cognoscitur tempus quo morbi solvendi sunt. Et nisi mainfestè hîc tempus comprehendatur, coniectura tamen aliqua artificiosa, & cum aliqua latitudine prædicitur, veluti in vulneribus, ulceribus, fracturis, contusionibus, pluribusque febribus putridis, si affectuum naturam non ignoremus, non multùm aberrabimus. Causæ quoque sua præbent indicia diei solutionis, v.g. vapor producens dolorem significat, adhibito discutiente statim dolorem remotum iri. Ideo non est mirum, si omnes morbi, qui fiunt ex vaporibus, seu qui fundantur in spiritibus, veluti est febris ephe-

mera,

mera, veluti ſunt colici dolores, epilepſia, & alii eiuſmodi affectus omnes in genere, ſtatim fiant, ſtatimque removeantur: quoniam à cauſa, quæ citò fit, & citò corrumpitur, producuntur. Vnde mirandum eſt, quomodo plerique ſtatuentes luem veneream fundari in ſpiritibus, eam tamen valde confirmari poſſe exiſtimant. Quemadmodum igitur ſpiritus & vapor præbent indicium ſolutionis morbi: ita etiam humor hoc idem præſtare poteſt. Sanguis copia & qualitate peccans, producensq; ſynochum ſine putredine, ſignificat cauſã quarto die removeri poſſe. Bilis producens tertianas febres, ſignificat eas nõ niſi die impari ſolvi poſſe. Melancholia producens quartanam, ſignificat eam die pari ſolvendã eſſe: Siquidem bilis tertianam febrem dieb. imparibus, melancholia quartanã paribus producere conſuevit. Inter alias cauſas ſignificantes tempus ſolutionis morbi eſt habitus rarus vel denſus corporis, bonis vel malis humoribus repletus. Quemadmodum enim hæc tarditatem, vel celeritatem ſolutionis ſignificant, ita etiam eius diem monſtrare poterunt, ſi ſignificatur ex ſignis coctionis ſeptimo die removendum eſſe morbum bilioſum, ſi corpus fuerit rari habitus, extenuatum, non cacochymum, ſi aër ſit calidus; hoc idem ſeptima die eventurum eſſe, certiùs ſperare poterimus. Si denſum fuerit corpus, aër frigidus, corpus cacochymum, timendum erit, ne morbus

ultra septimum protrahatur. Ex causis juvantibus potest significari dies solutionis morbi. Magna evacuatio statim juvare solet: et ideo ex ea capitur indicium quo significatur, morbum statim removendum esse. Ex causis concoquentibus humorem semiputridum significatur non nisi pluribus diebus concoctionem explendam esse: et propterea non nisi pluribus diebus morbum posse removeri. Symptomata quoq; morbi tempus solutionis denotant. Si quis enim in quarta die habuerit urinas vel lucidas, vel nigras, faciem Hippocraticam, sudorem frigidum, frigidaq; extrema, aliasq; operationes animales, vitales, & naturales imbecilles, significatur patientem non posse ultra septimam protrahi. Si urinas habuerit subruffas,, vel ruffas, vel subflavas, cum optima substantia & contento, aliasq; actiones non vade recedentes à naturalibus in quarta habuerit, terminum solutionis ad salutem expectabimus in septimo. Idem quoque tempus solutionis ex similitudine ægrotantium simul habita significat diem solutionis. Quotiescunque enim contingit patiens, qui decimo quarto sanetur, aliusque morbo consimili laborans nobis sanandus occurrat, significatur, habita comparatione prioris cum præsenti, hunc quoque sanandum esse decimo quarto die. Hora quoque solutionis ex eisdem signis demonstratur. Diaria enim febris viginti quatuor horis desinit ad salutem. Periodus tertianæ exqui-

sitæ

ſitæ ſunt duodecim horæ. In aliis verò morbis non niſi coniectura quadam horam ſalutis & mortis aſſequi poſſumus. Eandem horam ſignificant cauſæ morborum, ſpiritus accenſi ſignificant febrem 24. horis finiendam eſſe. Bilis putrida extra venas denotat periodū ad duodecim horos eſſe protrahendam. Ex cauſis etiam juvantibus horam ſolutionis prædicimus. Quoniam enim purgantia nonnulla quatuor horis, alia pluribus completè expurgant: propterea dolorem colicum aut alium morbum, qui purgantibus ſit removendus, judicabimus removeri poſſe, vel ſpatio quatuor horarum, vel plurium. Quoniam vulnus afficiens cor ſtatim jugulat, idcirco ex hoc vulnere judicabimus, patientem unius horæ ſpacio vel etiam ſtatim moriturum eſſe. Symptomata etiam horam futuræ ſalutis confirmant. Excreta enim benè cocta, & coctiones, aliæq; operationes non valde diſsimiles à naturalibus, ſi ex aliis indiciis ſignificetur, morbum removendum, eſſe vigeſima quarta hora, vel e.g. nonageſima ſexta, hoc idem tempus ſolutionis confirmabunt. Si quotidiè morbus exacerbetur, ita tamen, ut alternis diebus magis affligatur patiens, die & hora maioris afflictionis moriendum eſſe ægro ſignificabitur. Idem etiam ex ſimilitudine demonſtrari poſſe exiſtimo, Si enim aliquis, qui habeat multa exitialia ſigna, ſpacio viginti quatuor horarum moritur, & alius nobis contingat, qui eiuſ-

modi signa habeat, earundem horarum spacio hunc quoque moriturum esse existimabimus.
Dantur quoque signa, quibus prædicitur, à quanam causa removendus sit morbus: Et capiuntur hæc signa à prædictis fontibus. Nonnulli enim sunt morbi, qui sola natura sanantur, velut sunt leves intemperies, parvæ solutiones unitatis, & morbi, qui à levi quoque corruptione humorum pendent: de quibus prædicere possumus, eosdem sola natura removendos esse. Verùm luxationes, morbi in numero aucto, in carne superexcrescente, in vitiosa figura, in annexu, & eiusmodi aliis, sola arte sanantur: Et de his prædicere possumus, quòd remediis arte inventis solvendi sint. Nonnulli verò morbi, ut tollantur, arte indigent & natura, veluti sunt febres ex insigni corruptione humorum: de quibus prædicere possumus, quòd non solùm natura, sed etiam remediis medicis removendi sint. Quæ verò hæc sint peculiaria remedia, quibus morbi sunt removendi, docet Hipp. 2. Aphorism. 23. dicens: Morbi, qui fiunt ex repletione, sanantur evacuatione: qui ex inanitione, repletione solvuntur: atque unusquisq; morbus, ut sanetur, contrarietate indiget. Ex natura itaq; cuiusque morbi concepta, prædicere possumus, quanam causa quicunque morbus sanandus sit. Hoc idem etiam docent causæ morborum, veluti sunt juvantes. Dum crisin optimam animadvertimus, veluti est fluxus sanguinis na-

rium in synocho sine putredine, deiectio biliosa in febribus tertianis, judicabimus removendum esse morbum natura tantùm agente, & fluxum sanguinis, vel excretionem biliosam producente. Causæ etiam quibus removendi sunt morbi significantur ex consequentibus ipsum morbum & ex similitudine. Consequitur morbos ex repletione tensio, gravitas, virtutis suffocatio; ex quibus significatur, removeri posse morbum ex his causis juvantibus, quæ habent vim evacuandi tollendiq; pondus, quo tensio, gravitas, & virtutis suffocatio contingit. Ex similitudine, si comparemus laborantem Ischiade sanguinea propositum à Galeno 10. de compos. medic. s. l. cap. 2. qui venæ sectione sanitati fuit restitutus, judicabimus, alium patientem sanguineam arthritidem pariter venæ sectione curandum esse. Cùm morbi aliquando solvantur per crisin, quandoq; per coctionem: idcirco nunc explicare oportet, quibus signis innotescat morbos solvendos esse crisi, vel coctione. Capiuntur autem hæc signa à natura morbi, causis morbi, & crisis, ab effectibus morbi, & similitudine. Quò ad naturam morborum, crisis fieri consuevit in morbis materialibus, et potissimum in his morbis, in quibus facultas expultrix à morbosa causa valde irritatur ad expellendum. Eiusmodi autem morbi sunt potissimum ardentes febres. Constabunt optimè signa futuræ crisis, si omnia considerentur,

quæ

quæ ad criſin efficiendam concurrunt. Itaque cùm criſis ſit motus magnus humoris, non niſi in morbo magno fieri ſolet. Et quoniam hic motus fit â cauſa valde irritante expultricem, idcirco ad efficiendam criſin, ut adſit humor vel valde acris, vel valde putridus, vel admodum copioſus oportet. Idcirc 1. de criſib. 4. & 5. cap. fieri criſes in ardentibus febribus dixit Galenus; quoniam in eis bilis acris, putrida, & redundans reperitur: fieriq; ſolent criſes in ſynocho ſine putredine; quoniã etſi in hac febri ſanguis nec acris nec putridus ſit, copioſus tamẽ eſſe ſolet. Et quoniam omnis criſis fieri ſolet â pugna inter virtutem expultricem, & materiam expellendam: idcirco requiritur ad efficiendam criſin, ut virtus ſit robuſta; alioquin cùm non poſsit pugnam aggredi adverſus materiam morboſam, moriuntur ægrotantes abſque criſi. Cúmq; criſis ſit motus, requirit quoque ſpacium per quod, & locum ad quem criſis fiat. Quarẽ concludo, criſin poſſe cognoſci ex morbi natura, ex cauſis criſis; quæ quidem ſunt humores vel acres, vel copioſi, vel putridi. Cognoſcitur etiam criſis ex robore expultricis, ex via idonea, & loco convenienti, ad quem moveatur humor. Eſt autem via idonea, g.e. raritas cutis, per quam ſudor expectatur; vel os ventriculi, per quod vomitus; vel alvus, per quam deiectio fieri conſuevit. Aliæ etiam ſunt viæ convenientes ipſius criſis. Iuvantes quoque & lædentes cauſæ criſin futuram præ-

prænunciant. Quæ coctionem juvant & non evacuant, futuram crisin prædicunt. Copiosa vero evacubtio, quoniam expultricis robur frangit, tollitq; materiam acrem, vel copiosam, vel putridam; idcirco prohibet crisin, & significat eam venturam non esse. Effectus quoque morbi futuræ crisis præbent indicia. Vehemens corporis æstus, dolor capitis insignis, sitis, & alia symptomata, quæ pugnam inter naturam & materiam morbosam sequuntur, futuram quoque crisin denotant. Ex similitudine crisis indicatur. Si enim æstate plurimæ ardentes febres desinant, vel cum sudore, vel cum vomitu, aut cum excretionibus alvi, occurratq; patiens eodem tempore ardente febre correptus, suspicabimur eius febrem solvendam esse cum crisi. Hæc tamen signa non denotant magis futuram esse crisin ad salutem, quàm ad interitum. Hoc idem autem declarabitur postea. Et quoniam aliquando citò, quandoq; tardè, expectabitur crisis; propterea instantem crisin cognosces, tùm ex prædictis signis, tùm ex his, quæ paulò ante crisin evenire solent: De quibus optimè egit Galenus in libris de crisibus. Et præsertim instantem crisin, quæ v. g. futura est in septima, denotat urina, cum nubecula rubra apparente in quarta, quemadmodum ex sententia Hippocratis in lectionibus ordinariis demonstravi. Quoniam autem crisis fit vel per excretionem, vel per abscessum: idcirco docere oportet, quibus

signis

ſignis futura hæc criſis aut illa cognoſcatur. Hoc autem innoteſcit ex prædictis fontibus ſignorum. Itaque ſignificabitur futura criſis per excretionem, ſi morbi ſint acuti, ex bile tenui & valde acri prodeuntes: quoniam eiuſmodi bilis non ſolùm valde irritat expultricem, ſed etiam, quoniam tenuis, facilè extra corpus propelli poteſt. Si ſit valde robuſta facultas expultrix, criſis erit efficienda per expulſionem: quoniam hæc facultas valde propellit, & extra corpus excernit humorem. Si viæ ſint apertæ, criſis potiùs per excretionem, quâm per abſceſſum fiet; quod facilè per eas excernatur humor. Contrà verò criſis per abſceſſum fiet, ſi morbi non ſint exactè acuti: ſi materia non ſit valde tenuis, ſed multa, craſſa & viſcida: ſi virtus non ſit valde robuſta: & ſi denique viæ, per quas fluere debet humor, non ſint valde apertæ. Idcirco quartanæ, quotidianæuque febres deſinunt per criſin cum abſceſſu, quandoque ad pedes aliquando ad inguina, quandoque etiam cum ſcabie totius cutis. Bilioſæ verò febres cum ſudore aut vomitu bilis ceſſare conſueverunt. Anni etiam tempora, conſtitutio aëris, regio, ætas, vitæ conditio, & temperamentum naturale ægri, aliaq; eiuſmodi, quoniam ſignificant diverſorum humorum redundantiam, habitusque corporis diverſitatem, propterea ſignificare quoque poſſunt, futuram eſſe criſin, vel per excretionem, vel per abſceſſum. Ad eiuſmodi cau-

ſas

ſas futuram criſin denotantes, reducitur propenſio humoris ad alias partes. Si aliquis tempore ſanitatis patiatur vomitum bilis, & frequentes ſudores, & incidat in febrem ardentem, ſuſpicabimur ejus morbum ſolutum iri, vel per vomitum, vel per ſudorem. Si quis verò conſueverit pati podagram & afficiatur dyſenteria, hanc ægritudinem in illam permutandam eſſe ſuſpicabimur. Et ideo nunc quartus agitur annus, quo cùm plurimi detinerentur dyſenteria, tandem ea ſublata incidebant in arthritidem; & potiſsimum hoc illis contingebat, qui aliquando arthritidem paſsi fuerant. Ex cauſis quoque nocentibus & juvantibus ſignificatur, utrum criſis futura ſit, vel per abſceſſum, vel per excretionem. Si morbus gignatur ex cauſis frigidis, ſignificatur terminandum eſſe per abſceſſum; quoniam morbi à frigidis humoribus geniti per excretionem terminari non poſſunt. Morbi, qui juvantur à frigidis, per excretionem finiri ſolent; quoniam calidi ſunt, ideoq; à frigidis juvamentum ſuſcipiunt. Symptomata quoque hoc idem ſignificant. Aeſtus vehemens, corporis inquietudo, urinæ rubræ, flava alvi excrementa, linguæ amaritudo, ſitis intenſa, & eiuſmodi alia ſymptomata, quoniam denotãt redundare bilem, ſignificant etiam per excretionem criſin fieri debere. Contraria verò ſymptomata, pituitam vel melancholiam, redundantem ſignificantia, indicant criſin futuram per ab-
ſceſſum

ſceſſum. Similitudo quoque idem ſignificare poteſt: quoniam in pueris expertum eſt ſæpe febrem ſynochum terminari in variolas: idcirco dum puer afficitur febre ſynocho, non ſine ratione ſuſpicabimur, eam quoque febrem permutandam eſſe in variolas. Verùm cùm morbi qui pendent ex frigidis humoribus, nonnunquam per abſceſſum, aliquando per coctionem finiantur, in ſequentibus declarabimus, quibus ſignis demonſtretur eiuſmodi morbos finiendos eſſe vel per coctionem, vel per abſceſſum. Quando per abſceſſum morbus ſolvendus eſt, ſignificatur, quoniam morbus fit ex materia multa, craſſa, habente acrimoniam, & ideo excitante expultricem; ita tamen ut propter viſciditatem & copiam ſui expulſionem extra corpus prohibeat. Contrà vero fiet coctio, ubi materia neque copia, neque acrimonia, valde irritat expultricem. Propterea non eſt mirum, ſi laborantes quartana febre, aut pituitoſa, ſæpe incidant in abſceſſum, ut docuit Gal. 3. progn. 36. Quoniam atra bilis & pituita, præſertim ſalſa, copia & acrimonia irritat expultricem, minimè tamen extra corpus propelli poteſt: itaq; materia quartanæ febris, quotidianæ, & aliorum chronicorum morborum, ſignificat futuros eſſe abſceſſus. Et ideo dixit Hippocr. 4. Aphoriſ. 44. Quibus febres longæ, ijs tubercula fiunt in articulis. Cauſæ etiam morborum longorum, nempe pituita & melancholia, futurum

eſſe

esse abscessum prædicunt. Capiuntur quoque signa ex facultate expultrice, quæ est causa crisis, & coctrice, quæ est causa coctionis. Vbi enim magis viget coctrix, quàm expultrix ibi potiùs coctionem quàm abscessum fore sperandum est. Ex causa etiam coctioni nocente & abscessum juvante, futurus abscessus denotatur. Sunt enim aliqui dispositi ad arthritidem ; idcirco cum febris adest pituitosa, fieri debere abscessum in articulis in his patientibus suspicabimur, iuxta Hipp. sententiam. 4. Aphoris. 33. Et si non sint patientes dispositi ad abscessus, morbum solvendum esse per coctionem existimabimus. Aetas, sexus, tempus anni, aliaq; eiusmodi, veluti multorum ciborum usus, futurum abscessum vel coctionem significant. Ex multis enim cibis in morbis longis abscessus fieri consuevit. Ideo dixit Hipp. 4. Aphoris. 45. In febribus longis, si victus plenior adhibeatur, fieri abscessus. Et ut uno verbo dicam, omnes causæ, producentes multos & crassos humores, eosque genitos significantes, denotant morbum solvendum esse per abscessum. Effectus quoq; morbi idem significant. Ideo loquens de lassitudine Hippoc. 4. Aphoris. 31. inquit: lassitudinem habentibus in articulis & circa alas præsertim abscessus fiunt. Et præter alios effectus morbi est dolor vehemens, qui quandoq; in convalescentibus remanet ; ex quo futurus abscessus denotatur; ut nos docuit Hipp. 4. Aphoris 32.

Vrinæ tenues, paucæ, & crudæ, futuros esse abscessus denotant; quemadmodum significavit Hippocr. 2. Progn. 34. Si verò sint multæ & crassæ, ut dixit Hipp. 4. Aphoris. 74. liberantur homines à futuro abscessu. Dum sunt tenues & absque colore in febribus continuis, abscessum in capite, phrenitidem appellatum, expectamus; quod materia ad cerebrũ raptũ habet: quod non ex prædictis urinis denotatur, quæ optimum habent sedimentum; & per coctionem morbos terminandos esse significant. Color rubeus in facie, ut docuit nos Hippocrat. 2. Progn. 18. in febribus continuis significat abscessum futurum post aures. Et si visum fuerit aliquos laborantes abscessum passos fuisse; habita comparatione cum aliis, & quadam facta similitudine, suspicabimur, horum quoque morbos per abscessum solvendos esse. Nunc quibus signis futura crisis salutaris vel lethalis esse debeat; & per quæ loca crisis per expulsionem sit facienda, declarare oportet. Itaque febris tertiana crisin salutarem futuram esse ostendit: quod etiam significant febres omnes continuæ, mites & benignæ: continuæ verò tactui mordaces & malignæ, crisin lethalem ostendunt. Ex causis morborum capitur quoque indicium futuræ crisis vel salutaris. vel lethalis. Sanguis, bilisq; pallida crisin salutarem: æruginosa, atra, lethalem fore ostendit. Quoniam inter alias causas crisis est virtus robusta, ab ea quoq; signa salutis, vel mortis in crisi significantur. Virtus robusta salu-

Signa crisis salutaris vel lethalis.

tatem crisin, imbecillis lethalem significat. Manifesta quoque sunt signa, quæ capiuntur ex effectibus morbi, & ex comparatione: quæ quoniam aliqua ex parte superiùs proposita sũt, ideo omitti debent. Locus, per quem excretio facienda est, denotatur ex propositis signorum fontibus. Nam tertiana febris, ut docet Hipp. 4. Aph. 59. solvitur cum sudore, vel per vomitum, vel per alvum flava bile evacuata, vel omnibus istis pariter factis evacuationibus. Quotidianæ febres solvuntur, ut dixit Gal. 3. de crisib. 3. sudoribus, vomitu, & dejectionibus pituitosis. Synochæ febres, & phrenitides, fluxu sanguinis ex naribus finiri consueverunt. Atque ut uno verbo concludam, pro diversitate naturæ morborum per diversos locos fieri excretiones consueverunt. Causa quoque efficiens morbi, denotat locum crisis. Etenim bilis, tanquam levis & tenuis; per vomitum & sudorem, futuram crisin denotat: melancholia per alvum: sanguis tenuis per nares: crassus per venas uteri & hæmorroidum: pituita, ut rarò excernitur, quemadmodum cum melancholia sæpe producit abscessus, ita, quando est excernenda, per alvum potius, quàm per aliam partẽ excerni solet. Causa quoq; materialis morbi, seu affectu locus, denotat locũ, per quem facienda est excretio. Gibba pars iecoris affecta, per renes & per urinã: cava, per a[illegible] fieri debere excretionẽ significat: Pleura affecta per sputum,

Signa ostendentia locum per quem excretio futura.

atque ut uno verbo concludam, pro diversitate locorum affectorum, habentium consensum cum partibus excretioni destinatis, varia quoq; loca, per quæ excretio fieri debet, significantur. Effectus morbi denotant loca excretionis; capitis dolor in febri synocho futuram excretionem ex naribus denotat: pauca urina, per dejectiones faciendam esse excretionem significat: paucæ dejectiones, per viam urinæ fieri debere crisin prædicunt. Ex qualitatibus etiam mutatis locus excretionis denotatur. Cutis mollities denotat per poros cutis excretionem fieri debere: rubor faciei, per nares. Similitudo quoque vim habet ad demonstranda loca, per quæ crisis fieri debeat. Et quoniam hactenus tradita est methodus prædicendi futura in morbis simplicibus; nunc unica lectione, quid prædicendum sit in complicatis, dicemus. Vbi affectus sunt complicati, scire expedit, quinam priùs, & qui posteriús curari debeant. Hoc autem cognoscitur ex natura morborum, & ex aliis fontibus signorum. Si itaq; affectuum complicatorum alius habeat naturam seu rationem causæ, sine qua alius affectus curari non possit; citiùs curabitur, qui habet rationem causæ, magis verò tardè, qui habet rationem effectus, e. g. si ulcus fuerit inflammatum, ulcus est affectus, qui curari non potest, nisi tollatur duplex excrementum, tenue & crassum: & hoc duplex excrementum removeri non potest, nisi prius curetur inflammatio.

Methodus prædicendi futura in morbis cōplicatis.

Quare

Quare ubi hoc ulcus occurret, poterimus prædicere, priùs removendam esse inflammationem, deinde duplex excrementum, & tandem ulcus sanandum esse. Et quoniam febris ardens est causa vehemens doloris renum, vigiliarum, siccitatis & asperitatis linguæ propterea si curabilis sit febris ardens, prius curandam esse ardentem febrem jure prædicimus, postea verò alios affectus esse removendos. Verùm si affectus quidem sint complicati, ita tamen ut unus eorum non sit causa, sine qua alius affectus curari non possit, ille affectus, qui magis est contumax, magisq; resistit juvantibus, longiori tempore curabitur: minùs verò contumax, breviori. Si ulcus e. g. sit in fronte gallicum, & circa faciem partesque proximas ulceri fiat erisypelas; prædicimus, prius sanari posse erisypelas, quàm ulcus; quoniam ulcus magis resistit juvantibus, erisypelade. Si complicetur febris tertiana cum quotidiana, & fiat hemitritæus; natura tertianæ febris declarat, priùs eiusmodi febrem removendam esse quotidianâ; quòd tertiana brevior quàm quotidiana esse soleat. Partes quoque naturæ morborum hoc idem significant. e.g. si fiat febris duplex tertiana intermittens, sæpe, ablata una eius periodo, tertiana duplex desinit in simplicem. Quare iudicabimus, illam periodum prius tollendam esse, cuius accesio anticipat magis, magis affligit, & perdurat, multoq; plura habet coctionis signa, quàm illa, cuius accesio

minùs anticipat, affligit & durat, atque minora habet coctionis signa. Quare singulorum affectuum natura in affectibus complicatis demonstrabit, qui priùs, & qui posteriùs removeri debeat. Hoc idem etiam significant causæ morborum. Si aliquis œdemate circa crura affectus, corripiatur quoque inflammatione faciei: causa utriusque affectus significabit, priùs inflammationem, postea œdema removendum; quod inflammatio à materia tenui, quæ citò solvitur, œdema à pituita viscida & crassa, quæ difficulter solvitur, proficiscatur. Ideo si tertiana febris complicetur cum quotidiana, è causa utriusque febris complicatæ, significabitur, prius removendam esse tertianam quotidianâ febre. Cùm in lue venerea circa caput fiant gummata, doloresque vehementes & pustulæ ulcerosæ, prædicere possumus, in curatione huius luis priùs removendas esse pustulas, deinde dolorem, & tandem gummata; quòd pustulæ à materia acri, tenuique procedant, gummata à materia crassa & viscida: ab humore verò medium locum habente inter crassam & valde tenuem materiam, venerei dolores procedant. Inter alias causas affectus est ipse locus affectus, ex quo denotari potest, quinam priùs & qui posteriùs removeri debeat. Si dolor colicus iungatur cum coxendico, loco affecto considerato, judicabimus, priùs removendum esse dolorem colicum coxendico; quod intestinum colon af-

fectum magis admittat remedia assumpta & iniecta, quàm articuli coxæ. Et quoniam etiam in omnibus articulis, veluti partibus frigidis, duris, siccis, & densis, diu conserventur morbi; quemadmodum quoque figuræ, quæ in corporibus solidis imprimuntur, diu conservari consueverunt. Causæ etiam nocentes sua præbent indicia. Si duo fiant vulnera in eodem capite, quorum unum à ferro leviter incidente proficiscatur, aliud verò pendeat à gladio punctim & vehementer feriente, significabitur, priùs curandum esse id quod à leviori causa incidente pendet, quàm affectus, qui producitur à validiore. Ex juvantibus causis idem significatur. Nam morbi, quibus prosunt pauca auxilia, eaque debilia, citiùs sanantur, quàm quibus parum conferunt auxilia, quamvis multa & valida. Ideo si aliquis febre hectica in primo gradu correptus, incidat quoque in tertianam, cui jungatur vomitus biliosus, ex hac causa juvante, nempe vomitu bilis, significatur, priùs removendam esse tertianam febre hectica: quoniam, quemadmodum vomitus bilis valde juvat tertianam: ita aut nullum, aut parvum febri hecticæ adfert juvamentum. Idem quoque significant symptomata. Nam minora symptomata & pauciora, futurum esse affectum breviorem, à quo pendent, significant, quàm validiora & plura. Ideo febris, quæ sequitur inflammationem, quoniam pauca & debilia habet sym-

ptomata, inflammatio verò habet multa & vehementia; propterea, etsi non ex toto removeatur inflammatio, priùs febris removeri solet. Ex similitudine idem significatur. Nam quoniam sæpe visum est tertianam febrem coniunctam cum pituitosa, priùs remotam esse pituitosa; idcirco in omni hemitritæo judicabimus, prius removendam esse tertianã febrem quotidianã.

De indicantium rerum naturalium signis.

Hæc sunt ea, quæ de signis rerum p. n. indicantium dici possunt. Si autem sermo fiat de signis rerum naturalium indicantium, seu virtutis indicantis, constat, quemadmodum abundè docui in methodo curatrice, virtutem omnem indicare sui custodiam, atque virtutem dividendam esse in virtutem coindicantem, atque in virtutem indicantem. Virtus coindicans, quemadmodum docui, quoniam suscipit juvamentum ex indicatis rerum præternaturalium, idcirco, eadem quoque indicata cùm indicet, coindicans nuncupatur, quasi idem indicans, quod à rebus p. n. est indicatum. Hæc itaq; virtus cognoscitur potissimum ex causis, & ex eius quoque natura. Ex natura quidem; quoniam si fuerit virtus debilis ex suffocatione, ablato pondere reficietur: Idcirco quemadmodum opus vel morbi causa, ut sanguis efficiens pleuritidem, indicat venæ sectionem, ita & virtus, quæ secundum naturam est imbecillis, ex suffocatione cognoscitur, tanquam coindicans: si debilis sit ex resolutione carnosæ substantiæ, veluti

occur-

occurrit in hectica febre, ex hac sua natura cognoscitur, tanquam coindicans; propterea quòd quemadmodum febris hectica, in quantum intemperies sicca, tollitur humidis alimentis, ita virtus debilis ex resolutione substantiæ seipsam significat, tanquam coindicantem alimentum, quod defectum carnosæ substantiæ restituat. Ex causis significatur hæc virtus, potissimum juvátibus; quoniam quemadmodum venæ sectio minuit pleuritidem; ita quoque juvat virtutem, quæ suffocatur, & consequenter significat virtutem, quæ coindicat venæ sectionem. Pariter quemadmodum alimentum optimè nutriens tollit morbum siccum: ita significat virtutem debilem ex defectu carnosi generis, quæ coindicat idem alimentum. Ex similitudine quoque eadem virtus coindicans significatur. Quia quandoquidem expertum est in nonnullis pleuriticis juvamentum sumpsisse virtutem ex venæ sectione, & propterea venæ sectionem coindicasse; ideo in alio pleuritico, qui nobis occurrat curandus, putabimus virtutem habere naturam coindicantis venæ sectionem. Et quemadmodum expertum est, virtutem in febribus hecticis ex defectu carnosæ substantiæ resolutam ope alimenti valde nutrientis juvamentum accepisse, habuisseq; rationem coindicantis prædictum alimentum; etiam in alio febri hectica correpto, qui nobis occurrat curandus, putabimus, habita cum alio similitudine, virtutem ipsius habere rationem coindicatis

De signis virtutis indicantis sui conseruationem.

prædictum alimentum. De signis virtutis contrarium coindicantis diximus: Nunc de signis virtutis indicantis sui conservationem est dicendum. Cùm autem hæc virtus, vel sit permittens, vel prohibens; permittens cognoscitur, quòd sit robusta, atq; in corporibus sanis, eorumq; partibus, vel in parùm ægris reperitur. De cuius signis sermonem habet Gal. lib. art. med. quem librum futuro anno dum explicabimus, signa quoq; virtutis permittentis nullo modo dimittemus. In præsentia sufficiat exemplum tradere virtutis alicuius patientis synochum sine putredine: In qua febre, dum oritur indicatio secandi venam, cognoscitur virtus permittens; ex causis; quia nulla præcesserit causa, quæ virtutem solvere potuerit: ex essentia; quoniam hæc virtus reperiatur in patiente, qui ante febrem optimè erat constitutus: ex effectibus; quoniam hæc virtus nō est annexa symptomatibus valde à naturalibus accidentibus recedētibus: ex similitudine; quoniam eiusmodi virtus in aliis quoq; venæ sectionem permiserit. Verùm si virtus fuerit prohibens, ea cognoscitur ex sua natura; quoniam fundatur in rebus, quæ à naturalibus valde distant. Si quis g. e. fuerit valde emaciatus, sive ex jejunio, sive alia causa, & incidat in pleuritidem, ex affectu indicatur venæ sectio: Virtus tamen est prohibens; quoniam est resoluta: et resoluta cognoscitur ob insignem maciem, vel etiam cognoscitur prohibens,

prout

prout reperitur in temperamento valde frigido, veluti eſt virtus patientis cachexiam, hydropem, maraſmum frigidum, & huiuſmodi alia. Cognoſcitur quoque hæc virtus reſoluta ex cauſis, ut ex inedia & vigiliis, ex fluxu immoderato, ex ſyncope, ex lypothymia, ex longitudine morbi, & ex aliis, quæ vel virtutem reſolvere, vel facilè reſolubilem facere potuerunt: inter quæ eſt ætas valde puerilis & ultimi ſenii. Illa enim denotat facilè ob venæ ſectionem reſolvi poſſe virtutem: hæc vero denotat iam eſſe reſolutam; ideo hanc & illam venæ ſectionem prohibere. Cauſæ quoque refrigerantes, ſive ſint internæ, ſive externæ, denotant virtutem, dummodo valde agant, quæ prohibent venæ ſectionem. Ab effectibus indicatur virtus prohibens: inter quos quidem effectus ſunt operationes valde læſæ, excreta, retenta, & qualitates mutatæ. Pulſus interceptus ex reſolutione, virtutem prohibentem venæ ſectionem indicat; interceptus ex ſuffocatione, coindicantem. Vnde non eſt mirum, ſi in præfocatione uteri, in apoplexia inflammatoria, ubi pulſus & reſpiratio eſt intercepta, venæ tamen ſectio non prohibeatur. Concoctio quoque ablata virtutem ſignificat prohibentem; veluti eſt concoctio in atrophia, hydrope. Motus valde læſus huiuſmodi quoq; virtutem ſignificat. Ideoq; ſi patiẽtes jaceant manib. cruribuſq; reſolutis inſtar cadaveris, non eſt ſecanda vena. Et quemadmo-

admodum excreta tanquam causæ, virtutem resolvunt, & resolutam significant; ita etiam eiusdem virtutis resolutæ sunt effectus, & eam, tanquam effectus, significant. Hoc etiam præstant retenta. Venenum pestilens, vel aliud venenum assumptum diuq; detentum significat ex necessitate virtutem esse resolutá, & venæ sectionem prohibentem. Hoc etiam præstant qualitates mutatæ: lividus extremorum color, eorumque frigiditas, facies extenuata, & aliæ eiusmodi qualitates prohibentem virtutem denotant. Et quia experientia est comprobatum, aliquos, qui iter habuerunt, venæ sectione jugulatos fuisse; idcirco ex similitudine judicabimus, omnes, qui iter habuerunt longum, valde secundum virtutem esse resolutos, adeò, ut virtutem venæ sectionem prohibentem habeant. Præter virtutem prohibentem datur virtus mixta ex permittente & prohibente. Et hæc est illa virtus, quæ partem indicati permittit, non autem totum. Si indicatur evacuatio sanguinis usque ad animi deliquium, in adolescente, patiente synochum sine putredine, correptoq; aliquibus vigiliis, virtus erit prohibens totam evacuationem, partem verò eius permittens. Et cognoscitur hæc virtus ex ijsdem signis, quibus cognoscitur prohibens, dum modò signa sint minoris activitatis, quâm ea, quæ denotant prohibentem. g. e. si sermo fiat de signis desumptis à causa, dixit Hippocrates: sub cane & ante canem difficiles purgationes

tiones sunt; quoniam tempus illud denotat virtutem, quæ non difficulter resolvi potest; ita ut admittat purgationes, sed cum difficultate: seu permittat levia, non autem valde purgantia. Hæc sunt, quæ breviter dicere volui de signis cuiuscunque virtutis. Atque decreveram etiam finem imponere in hodierna lectione huic tractatui de methodo semiotica: sed quoniam nonulla adversus mea decreta mihi imponuntur, & à me petiistis, ut eiusmodi obiectiones solvantur: propterea, ut animus vester quiescat, hoc libentissimè præstabo, et quæcunque à me dicentur, libentissimè rationi & judicio excellentissimorum virorum subijcio. Dictum fuit à me, signum esse medium terminum. Statuunt hi malam esse propositionem: quod probát hac ratione. Enthymema constat ex propositione, ut dixit Aristot. 2 .Rhet. 2 6. Enthymema constat ex signo. Ergo signum est propositio, ut habet Aristot. 2. prior. 3 3. Verùm nullo modo signum potest dici propositio. Quare signum neque affirmat, neque negat, neque est universale, neque particulare; & prædicatùr de maiori extremo, subijciturq; minori, & constituit primam figuram; et prædicatur de utroq; extremo, & constituit secundam; & subijcitur utriq;, & constituit tertiam, ut docuit Aristot. 2. prior. 3 4. et cum eo Avenroës in comm. Sed propositio neque prædicatur, neque subijcitur alicui extremo. Ergo signum non est propositio. Ratio aliorum

Dilutio quarũdam obiectionum.

sum nihil concludit. Quare deficit: quoniam est à simpliciter tali ad secundum quid. Neq; enim est verum simpliciter: omne, ex quo constat enthymema, esse propositionem. Nam constat quoque ex terminis. Et si hæc illatio esset simpliciter vera, posset facilè addi illatio; sed enthymema constat ex signo: et ita posset concludi; ergo signum est propositio. Ad Aristotelem verò dicentem, signum esse propositionem, respondemus, sicq́ Aristotelem aliorumq; sententiam tuemur, dicentes: Posse capi signum vel secundum se, vel in ratiocinio. Primo modo non est propositio, sed medium, quo indicatur signatum. Secundo modo est propositio, & dici quoq; potest totum argumentum; veluti quoque definitio secundum se non est propositio, in demonstratione verò est propositio, ab ipsa demonstratione solo situ differens. Propterea Aristoteles capiens signum, ut est in ratiocinio, non solùm dixit esse propositionem, sed cap. 29. secundi prior. & cum eo Avenroes in comm. statuit signum simile esse Syllogismo; quemadmodum exemplum simile est inductioni. Et in cap. 33. & cum eo Avenroes in comm. statuit signum esse vel ex probabilibus, vel ex necessariis, & consequenter totum esse argumentum. Captum igitur signum secundum se, est medium à dogmaticis inventum, sensu scilicet, aut ratione. Nonnulla signa sunt inventa tantùm sensu. Aër calidus, quo demonstratur febris, tantùm sensu

est

est inventus: coctio ventriculi imminuta, quæ denotat intemperiem frigidam, non est inventa, nisi ratione: neq; .n. eiusmodi coctio est obiectum sensibile, sed innotescit ructibus acidis, excretis pituitosis, & aliis huiusmodi. Et quamvis sit inventa ratione, non tamen sine sensibus inventa est. Est ergo inventum signum sensu aut ratione, siquidem his duabus facultatibus, ut docet Gal. in com. 2 .l. de off. med. omnia attinentia ad artem medicã sunt inventa. Est inventũ signũ ut signatum ostendatur, sive in huius cognitionem nos ducat à priori, sive à posteriori, sive etiã à simili. Voluerunt tamen alii ex signo non nisi à posteriori signatum indicari: Quod quidem esset verum, si signum à medicis acciperetur, veluti capitur ab Aristotele; qui cùm idem esse putet demõstrationem à signo & ab effectu, putat quoque omne signum esse posterius signato, & à posteriori signatum ostendere. Sed cùm à medicis inter signa collocentur causæ, nescio quomodo ex his à posteriori signati habeatur cognitio: siquidem neq; à causa proxima, neq; à remota à posteriori cognitionem facit. Inter signa tamen à medicis collocantur causæ proximæ, ut patebit inferius: causæ verò remotæ etsi non tribuunt cognitionem perfectam, qualem proximæ: quia tamen inter cæteras conditiones principia hanc habẽt primò nẽpe durationis à causa remota, ut sint priora natura, & quantò magis remota, tantò magis sint priora, ut dixit Arist. 2 .t. 1 2 . secundum divisionem Averrois 1 . post. igitur

tur cognitio à causa remota non est à posteriori. Neq; etiam cognitio quæ habetur à simili. Nam cum simile neque sit effectus, neque causa eius quod demonstratur, neque cognitionem à priori neque à posteriori signato tradit. Non itaque omne signum à posteriore cognitionem facit. Est inventum signum ex suis fontibus, ut talis sit signi medici definitio: quòd sit medium, à dogmaticis & sui similibus inventum, ut ducat nos in cognitionem signati medici. Fontes signorum diximus esse quatuor; essentialiter inhærentia; causas; effectus; & similia, atque dissimilia. Aliqui tamen putant fontem ab essentialiter inhærentibus reducendum esse ad fontem causarum: Quod quidem ipsi facere nequeunt. Siquidem existimant solùm remotas causas habere rationem signi, non autem proximas: Cum tamen essentialiter inhærens, ut naturale temperamentum, ut compositio, respectu constitutionis naturalis non sit causa remota, sed proxima. Nos igitur existimamus, essentialiter inhærens rationem causæ habere, non quidem efficientis & remotæ; sed formalis proximæ, à qua capitur indicium. Itaque si per fontem à causis intelligamus ab omnibus causis fontem, utique quemadmodum essentialiter inhærentia sunt causæ formales, ita earum fons ad fontem causarum reducitur. Sed quoniam Gal. l. art. med. c. 8. distinxit genus signorum ab essentialiter inhærentibus, à genere signorum à causis; ideo secuti

Definitio signi medici.

nos quoque Galenum, hunc fontem à fonte causarum distinguere voluimus. Tetigit Galenus essentialiter inhærentia cap. 65. art. med. dum dixit: Ex permutatione in caliditate, frigiditate, situ, & aliis eiusmodi, locum demonstrari affectum. Ibi etiam animadvertit eiusmodi fontem in partibus exterioribus perspicuum esse, & in illis præsertim locum habere. Hippocrates dum 1. sectione Aphoris. 12. inquit: Accessiones & constitutiones morbi demonstrabunt & incrementa succisiva circuituum; desumpsit signa ab essentialiter inhærentibus: quorum etiam meminit Cōciliator differ. 88. quin imò Avicenna. 3. Canon, dum loquitur de anatome oculorum, temperamentum & compositionem ipsorum docet ex essentialiter inhærētibus patefieri, dum inquit: Temperamentum oculorum cognosci tactu, sive fuerit calidum, sive frigidum, sive aliud simile: Et compositionem ipsorum oculorum tanquam objectum commune tactui & visui manifestam fieri. Obiiciunt tamen aliqui; siquidem si essentialiter inhærens esset signum, idem esset notum & ignotum, signum & signatum. Quod quidem dici posse existimamus, dummodò idem respectu diversorum sit signum & signatum, notum & ignotum. Temperamentum calidum oculorum, ut sensibile, est signum & notum: ut causa immediata acutè cernendi, est signatum & per se ignotum: Calida intemperies, ut sensibilis, est signum & manifesta: ut causa

continens læsæ actionis, signatum dici potest, & non sponte, sed ex signo fit manifesta. Et quod dicitur de eiusmodi essentialiter inhærentibus, idem de omnibus aliis dici debet. Fontes causarum seu genus causarum, in genus causæ materialis & efficientis dividi posse arbitror; adeò ut à formali causa capiatur signum, quod dicitur ab essentialiter inhærentibus: à materiali & efficienti signum, quod dicitur à causa. Voluerunt tamen alii à causa efficiente tantùm remota capi signa; quasi verò præter formalem, ut probavimus contra eorum sententiam, non significet quoque materialis & causa efficiens proxima. Nonne, dum afficiuntur articuli pedum, cognoscimus podagram: ex articulis manuum affectis, demonstratur chiragra: ex pleura affecta, pleuritis: ex liene, scirrhus? Quare materialis causa seu locus affectus affectū, quem patitur, demonstrat, quamvis locus affectus, si fuerit externus, sit per se evidens, & tantùm signi rationem habeat: si vero fuerit internus, eget signis, ut indicetur, & signati rationem habet. Neque enim est inconveniens, ut idem sub ratione diversorum sit signum & signatum. Dum etiam dicitur à â causa proxima efficiente non capi indicium, hoc admitti non debet. Causa enim proxima sive fuerit sponte evidens, sive signis innotescat, effectus, quos parit, significat. Aër calidus sponte evidens si fuerit causa proxima, quamvis externa, intemperiei calidæ capitis, vel febris hecticæ,

procul-

proculdubio hos affectus indicat. Ebrietas, quæ est causa febris ephemeræ, eam significat. Truncus infixus, pila bombardæ, quæ sunt causæ proximæ profundi ulceris, hoc etiam ulcus indicant. Et si voluerint illi species causæ morbificæ, ut humores, vapores, solidáque corpora habere rationem signi; eiusmodi autem species sint causæ proximæ efficientes; quare ab his causis non desumetur indicium? Nonne flatus est proxima causa doloris colici, & hydropis sicci? Nonne pituita est proxima causa œdematis & hydropis, qui dicitur anasarca? Calculus quoq; seu lapis vesicæ est causa proxima ulceris, obstructionis: et consequenter eiusmodi causæ suos effectus producunt, & productos demonstrant. Et, si voluerunt alii ex compositione naturali, & naturali temperamento, agnosci constitutionem; aut coguntur fateri, naturale temperamentum & compositionem non esse causas proximas constitutionis; aut ex causis quoque proximis effectus significari. Fontes seu genera causarum efficientium ex Galeni sententia 5. de tuen: sanit. quatuor constituuntur, genus nempe eorum, quæ assumuntur, geruntur, educuntur ac retinentur, & extrinsecus adhibentur. Alii hac dimissa divisione, & alia suo libitu accepta dicũt, Hippocratem proposuisse 1. Aph. 12. fontem ab interna causa efficiente: cum tamen eam ibi omiserit, veluti manifestam, doctrinam servans aphoristicam. Ad fontem à causis reducun-

tur omnes causæ, quæ extrinsecus occurrunt, veluti sunt cibi, potus, odores, & alia eiusmodi, quæ proponuntur à Gal. cap. 1 4. lib. artis parvæ. Quare optimè quidem statuunt alii aërem calidum, ciboſq; biliosos, febrem efficere, & indicare: non possunt tamen defendi, dum statuunt signum esse propositionem; quia neq; aër, neq; cibus, neq; alia eiusmodi sunt è genere propositionum. Et dum inquiunt ab aëre & cibo & aliis eiusmodi signa desumi, neque volunt ab extrinsecus occurrentibus, sed ab alteratione ab eis proveniente indicium capi, videntur sibiipsis adversari. Nam etsi Gal. in art. par. ab alteratione, quæ extrinsecus advenit, capi indicium existimaverit; confundit tamen ipse hanc alterationem, ab extrinsecus occurrentibus advenientem, cum ipsis extrinsecus occurrentibus alterantibus. Alteratio enim extrinsecus occurrentium nihil indicat, sed significat extrinsecus occurrentia & alterantia. Nomine enim alterationis vel intelligunt alterationem factam, vel in fieri. Non factam; quia hujus nomine vel intelligunt morbosam, vel in latitudine sanitatis. Non illam; quia v. g. febris ab aëre calido genita non est signum sed signatum; Et, si haberet rationem signi, idem sub ratione eiusdem esset signum & signatum. Neque intelligunt factam alterationem in latitudine sanitatis, veluti est aliqua intemperies; siquidem hæc intemperies secundum eorum sententiam non est signum sumptum ab

effectu

effectu genito ab externa causa, sed captum à
causa efficiente,ut inquiunt, per modum conse-
cutionis. Si intelligunt alterationem in fieri: nec
sic sensus Galeni verbis tribui potest; quia eius-
modi alteratio,vel capitur pro passione,ut nem-
pe fieri potest circa passum, vel pro actione, ut
scilicet fieri potest ab agente. Et utroq; modo al-
teratio, cùm non sit actu, neque sensibilis, ratio-
nem signi etiam habere non potest. Relinquitur
ergo, quòd nulla sit differentia inter alteratio-
nem extrinsecus provenientem habētem ratio-
nē signi,& signa sumpta ab extrinsecus occurrē-
tibus & alterantibus. Signum ab effectu divisum
est, prout varii sunt effectus. Alii enim conse-
quuntur naturalem constitutionem & eius cau-
sas: alii morbum & ipsius causas. Eiusmodi
effectus, cum sint symptomata, vel sunt opera-
tiones læsæ,vel excreta,aut detenta, vel qualita-
tes p. n. Alii tamen dividunt effectum in prima-
rium & secundarium; nuncupantes primarium
illum,qui immediatè non proficiscitur à signato,
sed est posterior tempore,signato, ut v. g,est co-
ctio diminuta,quæ ventriculi frigiditatem conse-
quitur; quasi hæc intemperies non sit cau-
sa immediata coctionis læsæ, atque non præce-
dat solùm effectum natura: quemadmodum
quoque omnis afficit morbus; qui etsi prior sit
natura, non est tamen prior tempore operatio-
ne læsa. Signum à similitudine desumpsimus
ab Hippocrate 1. de offici med. & à Gal. in

comm. ex ſententia Platonis in Philebo, ut dicit Gal. 9 .de plac. 3 .Hoc fonte probat Galenus dari febrem tertianam 1 . ad Glauc. 5 . Nam inquit: Si multos uno tempore laborare contigerit tertianis febribus, hoc erit maximum argumentum tertianæ febris. Idem diximus de omnibus morbis paſsim vagantibus. Dum fiunt variolæ, & puerum laborantem intuemur, ſuſpicabimur ſtatim ipſum eſſe correptum variotis. Et ſi Ariſt. 2 .prior. 3 0 . exemplum ſeu argumentum à ſimili dicit eſſe, quando fit tranſitus ab uno vel pluribus particularibus ad aliud ſimile; quare nos comparantes unum vel plures laborantes tertiana febre cum alio febricitante, ideo credentes ipſum quoque pati febrem tertianam, non utemur argumento à ſimili? Hunc fontem ſignorum reducunt alii ad fontem cauſarum vel effectuum: quod dici non poteſt. Quoniam tertiana febris unius vel plurium,neque eſt effectus, neque cauſa tertianæ febris alterius. Exemplum quod ipſi afferunt noſtræ favet ſententiæ. Si enim cognoſcamus brachium dextrum non eſſe luxatum, quia ſimilem habeat figuram figuræ ſiniſtri; quoniam huius figura naturalis, neque eſt cauſa neque effectus ſanitatis alterius: propterea hoc argumentum, quo demonſtramus brachium non eſſe luxatum, neque eſt ab effectu, neque à cauſa, ſed à ſimili. Pariter diſsimilis figura brachii

ſani

sani non est causa vel effectus luxationis alterius brachii; & ideo, neque tanquam causæ neque tanquam effectus; sed tanquam aliquid dissimile aliud brachium luxatum esse significat. Hæc sunt ea, quæ de methodo semiotica dici possunt; cui quoque ad laudem DEI finem impono.

FINIS.



SYNOPSIS METHODI MEDENDI HIERON. CAPIVACCII

Methodus est instrumentum quod docet universale applicare individuo. Id fit per transitum ab uno ad aliud ordine et non fortuito. Debet enim aliquid esse primum et quasi generalissimum, aliud secundum et subalternum, aliud denique infimum. Unde c. 7 l. 2 meth. dicitur a primis indicationibus ad specificas esse progrediendum.

Resolutiva esse debet c. 2 l. 11 meth. quoniam progredimur hic ab indicante ad indicationem, i. a fine ad ea quae sunt propter finem, sive quorum virtute finem consequimur. Ut morbus calidus est finis et indicans, praesidium frigidum indicatum quod dirigitur in finem et quod removet morbum calidum.

Huic subsequitur divisio cuius ope indicationes invenimus. Ubi 1. non est subsistendum in summo genere, 2. nec in speciebus subalternis, ut febris ut morbus indicat sui remotionem. Si quis hic subsistat primum committit errorem; febris ut morbus calidus indicat frigidum. Qui ergo [illegible] secundo peccat, modo omittit enim indicatum specificum & immun[illegible]; si enim febris morbus est calidus et [illegible] frigidum etiam et [illegible] indicato. 3. nec prava instituenda est divisio ut si quis indicationes curativas quaerens morbum dividat in suas causas cum materia sint quae primum curationem indicant c. 14 l. 9 meth. morbus est temperatura et [illegible], sciendum morbum in differentias et species dividendum esse non in causas, temperamentum dico et [illegible] in causas et non in differentias. Licet enim morbus suas etiam habeat causas, hoc tamen loco in causas dividi non potest quia sermo tantum est de indicatione curativa quae ab ipso morbo eiusque speciebus sumitur, non autem de praeservativa quae sumitur a causa. Non igitur indicationes curativae cum praeservativis confundendae, nec morbus in differentias et causas dividendus; sequeretur enim unum a duobus indicari. Ergo nec divisio quae respicit morbum complicatis causis vel quae respicit causas complicato morbo.

Methodus medendi est ars forma
est ars non instrumentum sed habitus princi
palis effectiuus cum n. medica facultas sit ars
et tum alias partes in se contineat tum potissimũ
methodũ tuendæ sanitatis et curatricis no:
cesse est methodum curatiuam esse artem et
cum sit ars ac proinde habitus intellectus dum
proponitur hac forma patet etiã subiectum quod
sit habitus potentialis non corporis sed animi.
qua per indicationes inueniuntur
iuuantia causa efficiens est indicatio, instru
mentũ sc. logicum (omne n. instrumentũ reducitur
ad causam efficientem) cuius beneficio habitus
principalis comparatur. hac causa efficiente
methodus medendi distinguitur ab ea curatione
quæ nõ pertinet ad dogmaticum quia nõ com:
paratur per indicationem sed experientia vel
analogismo vel alio instrumento ab indicatione
diuerso. dictũ a. est ut inueniantur iuuantia
non ut inueniantur indicata quia indicatum
latius patet cum morbi etiam à signis suis
indicentur. ut ex dolore lateris &c. pleuritis
colligitur sed pleuritis nõ est iuuans imo nocet
per Iuuantia a. intelliguntur omnia quæ per
indicationes inueniuntur ut sunt cum præsidia
tum usus seu administratio materia præsidiorũ
sub usu a. comprehenditur dosis seu quanti:
tas remedii, modus administrandi tempus
et locus. Iuuans igr in se complectitur quid
sit agendum quantum quomodo quo tempore
& ubi non plura nec pauciora. ut
deperdita sanitas hominis repa:
retur qui finis potest uocari externus
si respiciamus ad indicationem internus vero
si respiciamus ad totam hanc medendi
methodum. verum internus finis indicationis
est inuentio iuuantium.
Differentia methodi medendi
sumuntur à forma et fine. à forma ut
sit habitus uniuersalis vel specificus
semper n. auspicandum est ab affectu siue in
uniuersali siue in particulari, in quo quidem
uniuersali siue in particulari, in quo quidem
vel in specie, semper tn ab indicatione ge,
nerica ad specificam est progrediendum.
à fine ita ut methodus vel simplex sit vel
composita. Illa in qua morbus aufertur et in hac

Nomen Indicationis nihil aliud significat
quam ipsam iuvantis insinuationem, et id quod
innuitur quasi in praecedenti aliquo sit designatum,
iuvans in se designatum in praecedenti aliquo
designato se in indicantem.
Notandum a Indicatum id quod innuitur per
indicationem non solum esse quid agendum, sed
etiam quantum, quomodo, quando & ubi. Inter
quae hoc est discrimen quod quid agendum
indicatur tantum ab essentia indicantis, reliqua 4
nequaquam: nam recta administratio i, quanta
quando quomodo & ubi licet ipsa quoque sint
Indicata non tantum indicantur a natura Indica:
tis sed ab eo quod consequitur essentiam, esta
differentia inter essentiam et illud quod con:
sequitur essentiam.
Indicatio est comprehensio i functio per:
tinens non ad sensum sed ad intellectum, cognitio
inventio Iuvantis seu confirmatio sive sit
quid agendum sive usus seu recta administratio
simul cum cognitione indicantis i,
essentia et eius quod sequitur essentiam finis
ergo internus indicationis nihil aliud est quam
cognoscere inveniri quid agendum et rectam
administrationem materiae. Citra experien:
tiam quae ab Indicatione plurimum differt
cum illa ad sensum potissimum pertineat, haec
vero ad intellectum & analogismum
quia est comprehensio iuvantis per similitu:
dinem. Indicatio vero e natura indicantis
non a simili desumitur. Quando igitur iuvans
per observationem et indicationem inveniri
nequit ob naturam indicantis latentem &
reconditam, tunc ad analogismum confugere
licet. Gratia sanitatis deperdita
reparanda et per hunc indicationis finem
sed externum distinguatur haec indicatio ab
indicatione quae locum habet in methodo tu:
endae sanitatis.
Nota a per Indicationes percipi seu cognosci
non tantum res p. n. ut morbus et causa, sed
etiam res secundum naturam ut virtus
Rerum vero percipiendarum seu Indi:
cantium 4 sunt condiciones i ut
indicans sit notum per intellectum
ad inventionem n. curationis necessarium est
morbi naturam scire et tot sunt modi cu:
rationes, quot morborum Ideae: ab essentia

igitur ac idea capite Indicao 2. Ut unum
indicans nonnisi unum indicet quia
unum uni tm adversato unam habet tm na:
turam. Intelligo a. de uno simplici, quod
undique habet respectum non a. de composito
quod secundum diversam essentiam sive respectu
plura indicare potest. unum etiam obtinet
naturam genericam & specificam, per natu:
ram genericam genericum indicat praesidium
per specificam specificum. ut licet sit unum
duo tm indicet no per eandem naturam
sed per genericam unum per specifica aliud
Itaq unum non semper idem indicat si con:
siderentur plures essentiae quia unum in
genere per plures essentias plura indicare
potest. ut unum indicans secundum unicam
essentiam nonnisi unum indicare potest. 3
Ut indicans necessario sit praesens
non praeteritum nec futurum nam
absurdum est aliud esse quod indicat et aliud
quod curatur: at quod curatur necessario
est praesens ergo etiam quod indicat praesens
est. Indicao no sumitur ab iis quae non
permanent at praeteritu et futuru no per:
manent. In prophylaxi medicus ad
imminens seu futuru malum respicit eiusq
absentis praeservationem tanquam finem sibi
proponit, indicationem tm sumit a praesenti
causa quatenus illa materia quae potest
morbum efficere est praesens. Indicans igitur
semper est praesens sive actu morbum
efficiat sive possit aliquando efficere
4 Ut indicans reperiatur in corpore
humano quia materia remediorum admi:
nistrata corpori nulla n. externa causa
indicat. At in febre existente aere ca:
lidiore aquam copiosam refrigerare ave
Resp. hoc negotium no pertinere ad methodu
medendi: materia n. auxiliorum quatenus
reposcit praeparationem & apparatu con:
venientem in methodo no considerari
ideo non de indicare unde Galenus
ubi requirit logice differentiam constituit
inter auxilia et materias auxiliorum ut
14 meth. ubi ait si tradere methodum cu:
randaru inflammaonum no a inveniendarum
darum materierum & q. raone inflamma:
tionis indicare remediu frigidum eiusd

materia sit lactuca, ut esset Galen. circa
inventionem remedii non autem circa inventionem
materiae lactucae et si quandoque materias
proponit id facit solum gratia exempli.

Divisiones indicationis sumuntur
ex iis quae in eius definitione sunt proposita
scilicet a comprehensione et ab indicato seu iuvante
et ab indicante.

Secundum comprehensionem Indicatio
est generica quae desumitur ab affectibus seu
morbis vel specifica quae desumitur a partibus
affectis. Generica alia est prima seu
generalissima, quae nec artificiosa est nec utilis
alia secunda seu subalterna quae utilis
esse potest non tamen ex necessitate sed non est
artificiosa. Indicatio Logica seu inutilis est quae
indicat praesidium cuius non est materia ut
obstructio indicat auxilium aperiens cuius nulla
reperitur materia; Dum autem fit a materia crassa
indicat attenuans cuius praesidii reperitur ma-
teria, ut puta acrimonia quae habet vim attenuandi.
Itaque subalterna quandoque est inutilis quandoque
utilis. Indicatio artificiosa est quae inno-
tescit quibus rationibus aliquid sit efficiendum.
Inartificiosa quae plebi etiam est nota ita ut
artis portio vel nulla sit vel certe nec
magna nec propria, ut puta febris ut per se indicat
removens cuius non reperitur materia quare
inutilis est et inartificiosa indicatio ceteraque
etiam vulgo patet. indicans enim secundum essen-
tiam genericam facile cognoscitur. Ideo Gal.
3 meth. 1 dicit Indicationem a morbo ac-
ceptam esse tamen principium unde medendi
methodus proveniat ut magna ea non sit
artis portio. Nota tamen Indicationem posse accipi
dupliciter vel pro comprehensione quae procedi-
tur ab indicante ad indicatum et sic qua-
libet indicatio est artificiosa vel pro cogni-
tione naturae indicantis et haec cognitio
vel communis est vulgo scilicet generica quae ob
id inartificiosa vel non communis ut
specifica quae ob id artificiosa quia ad prae-
sidium necessaria. Ex hac ratione Indicatio
generica uno modo dici potest inartificiosa
alio modo artificiosa. Subalterna autem
potest esse inartificiosa quia eius comprehen-
sio potest esse etiam brutis communis ut
bruta dum sentiunt incendium se se frigidis
immergunt. Est etiam artificiosa et est via
a subalterna ad specificam.

Specifica ~~Utilis~~ est quia semper respectu materiae e. g. si est febris calida et unum indicat frigidum et unum cuius materia est v. g. endivia. Est etiam artificiosa quia soli artifici datum est illa invenire quib. perfici possit quod a prima h. e. generica indicatione suggeritur et hoc fieri indicatione h. e. via a genere ad speciem a methodo magis a. artificiosa quam generica & subalterna non quia hoc artificium consistit in progressu indicationis de indicante ad indicatum: est n. simile artificium in qualibet indicatione sive sit generica sive specifica, sed quia per hoc artificium medicus cognoscit naturam indicantis cognoscere a. indicans secundu essentiam genericam facile est sed secundu specificam difficile et et certam administrationem oportet n. esse versatum in parte physiologica, pathologica, & de signis.

Indicatio dividitur in sit agendum & non alia et quam agendorum indicavit inventionis iuvantium et quid agendum nam quaerere an sanguis sit evacuandus necne est quaerere quid agendum

Indicatum duplex est quid agendum et usus i. certa materiarum administratio: nam in indicante duo perpendamus essentiam, id quod consequitur essentiam totidem in indicato etiam considerari necesse est. Quid agendum dependet ab essentia indicantis est genericum et remquorum subalternum in febre frigidum ~~[illegible]~~ specificum in febre e. g. frigidum in primo: gradus n. determinati non ad quantum agendum sed ad quid agendum specificum pertinet, dosis vero ad quantum agendum est referenda. Usus dependet ab eo quod consequitur essentiam quod quadruplex est sc. actio, passio, praesentia et subsistentia. ratio si essentia indicantis consideratur cum qualitate (hae n. absolutum non sunt perpendenda quia id quod agit sive sit morbus sive iuvans sive medio sed instrumenta non agit) vim habet agendi unde prodit actio & cum id quod agit etiam varietate hinc fit et locum habent passio. quod si essentia coniungatur cum quantitate ad quantitatem pertinet tempus et locus sub ratione temporis locum habet praesentia ratione loci subsistentia. Usus igitur est quadruplex, quotuplex n. est indicans totuplex etiam est indicatum.

Indicantis consideratio est praecipua pars
huius artis, virtute cuius hat methodus
intelligitur. Indicans diuiditur a fine
methodi medendi, quia indicans constituitur
per finem qui duplex communis et determi-
natus. Communis est deperdita sanitatis
reparatio, per quem finem distinguitur methodus
medendi ab arte tuendae sanitatis, cuius
ratione indicans quodcumque siue capiatur à
morbo siue à causa siue à virtute dr.
curatorium. Specialis finis duplex
est, alter remotio rerum p.n., alter custodia
rerum sec. n. Cum a. res p.n. duae sint
morbus et causa (symptoma n. licet p.n.
sit nihil tn indicat nisi causa habeat ra-
tionem) duplex etiam finis hinc oritur
morbi remotio et causae remotio et
morbus quidem dr. Indicans curatorium atq.
ita sibi vindicat nomen communis indicantis
causa a. dr. Indicans praeservatorium quamuis
causa ratione finis communis etiam indicans
curatorium dici possit. Ratione rerum
sec. n. hic finis non subdiuiditur sed ab hoc
constituitur indicans vitale.
Tria ergo solum sunt Indicantia mor-
bus, causa, virtus, hoc confirmatur a
Galeno 10. meth. 1 in putridis febrib. indi-
cationes sumi a febrib. à causa, et a v.
naturali, et febris sit indicans curatoriu,
causa praeservatorium, vis naturalis vitale.
Solus affectus 1, morbus et causa morbi indicat
virtus a. hoc permittit, sit fortis vel prohibet si
Galenus [illegible] nominibus interdum minime soli-
citus plura alia indicantia proponere videtur
quae si accurate considerentur Indicantia
proprie non sunt sed indicantium
ipsorum velut nota quaedam et
signa proinde signi ac indicantis nouisse
oportet distinctionem. Signum est quod signi-
ficat ipsum indicans. Indicans est illud à
quo sumitur indicatio et ex quo inuenitur iuuans.
Sic locus affectus significat gradum morbi
et facultas medicamentorum morbum ipsum
prodit. Natura ac temperies aegri morbi
natura ac recessu à statu naturali mani-
festat sic c. 19 l. ad Thrasibulum Galen.

Absoluta igr̄ Indicantis vehementia indicat
solum per essentiam Indicantis subalternã
et specificam.
Vehementia respectiua indicat per
essentiam suam relatam ad essentiam
alterius indicantis quare ubi unũ saltem
est Indicans respectiua vehementia locum
non habet, sed necessario in pluribus Indican
tibus. Et quia cognoscere oportet in
complexis affectib. quem primum omnium curet
magis quem rursum minus aut secundo vel
tertio loco curare oporteat ideo inquirendũ
quae vehementia sit intensior et quae remiss.
Essentia quae est intensior habet
rationem prohibentis, quae vero remis=
sior permittentis. Indicans igr̄ Indicans
secundũ essentiam absolutam habet rationem
indicantis et idem prorsus (nec n. multi
plicanda entia in hac methodo) secundum
essentiam comparatam ad essentiã alterius
indicantis habet rationem vel prohibentis
vel permittentis.
Quare tria tm̄ dantur indicantia, tria
quoq. prohibentia: tria tm̄ permit
tentia. Et morbus secundũ essentiã abso:
lutam est indicans, secundũ respectiuam
vehementiorem prohibens, remissiorem
vero permittens. Idem prorsus statuendũ
de causa et de virtute.
Vehementia respectiua dupl. potest
considerari prout haec duo indicantia
vitalia et curatoria vel consentiunt
vel discrepant.
Si consentiant indicantia intenditur
vehementia indicati: v. g. temperatura ho:
minis et febris hae vehementia indicat
virtutem medicinalem magis intense refri:
gerantem.
Si discrepant videndum quantum
attinet ad virtutem quae est indicans
vitale an adsit temperies vel intemperies
v. g. correptus febre detentus an sit vel tem
peratus vel intemperatus. Si fuerit
temperies virtutis essentia non est vehe:
mens proinde virtus negligitur quia adest
temperies quae est signum debilis essentiae
virtutis ita ut refrigerandus sit victus ita fri:
gidus ut indicatur a febre quia virtus solum permitti

i de parte virtutis fuerit Intemperies
r discrimen indicantium virtutisque et febris
indicate virtus remissior seu minus frigidus quam
indicate à febre, ubi n. sunt indicantia contraria
necesse est et fiat aliqua remissio. Si
ergo contrariorum indicantium vis in febri
is est par ac aequalis indicate virtus
medium inter frigidum indicatum à febre et
calidum indicatum à virtute. Si a. vis ac
potentia contrariorum indicantium
sit impar indicate virtus à medio tm
recedens, quanto est maior vel minor vis
indicantium.
Si tria indicantia sint paria in pot:
entia h. e. morbus causa et virtus
virtus superat reliqua morbum sc. et
causam magisque consulendum virtuti quam
reliquis. virtus n. est praeferenda omnibus
indicantib. secundum locum debent obtinere
morbus et causa quia sunt indicantia
tertium locum signa connotantia quae signa sunt
indicantium sc. virtutis morbi vel causae.
Signa vero haec si cum virib. consentiant h. e.
si sint de parte virium aetas temperatura et
reliqua obtinent primum locum quia sunt
signa virtutis ad differentiam illorum quae sunt signa
morbi vel causae. Si a adversantur viribus
secundum locum obtinent. ratio est quia haec signa
habent utramque sedem primam quidem et sunt
signa virtutis, secundam et signa morbi
vel causae.
Si imparia sint tria illa virtus modo
reliqua superat, modo à reliquis supe:
ratur. respicite a. virtus quando vehemen:
tia seu essentia virtutis respectiva est admodum
remissa, contra intensa essentia morbi vel
causae quod est dum morbus est vehemens cau:
sa vehemens et virtus robusta. quare virtu:
tis essentia dr vehemens dum virtus est de:
bilis, contra vero essentia virtutis dr debilis
ubi virtus est robusta et ob id virtus robusta
permittit debilis prohibet.
Si neglecta virtute inuicem confertamus
morbum et causam, plerumque est vehemen:
tior causa quandoque morbus sed plerumque
causa. quia e. g. febris quae est morbus
fouetur a causa. E causa quia fouet morbum
habet rationem magis vehementis

Igr̃ si consentiant Indicantia intenditur
vehementia Indicati. Si discrepent remit-
titur vehementia Indicati vel utriusque, si
vehementia utrimque par sit, vel intensioris
si impar sit, indicantium contrariorum
vehementia. si n. indicantiũ par sit vehe-
mentia æqualiter infringitur utriusque indi-
cati vehementia ut modicum quiddam surg[at]
quod si impar sit vehementia, intensior[i]
tm̃ derogatur, quantum possit remissior

Morbus etiam indicat certam admi-
nistrationem præsidii h.e. quantum
quomodo, quando, ubi. Quæ cum sint 4
indicata et unum nonnisi ab uno indicetur
necesse est ut in morbo sint 4 Indi-
cantia quæ essentiã morbi consequan[tur]
nam a morbi actione indicatur quantum
agendum à passione modus. a præ-
sentia quando, à subsistentiâ ub[i]

Quantum agendũ est dosis materiæ
remedii indicati ab essentia indicantis
non ergo confundendũ est præsidium seu
quid agendũ cum usu e. g. frigidum ut du[m]
nõ est quantum agendum, sed quid agend[um]
specificum cuius materia e. g. est lactuca.
Quantum vero est ipsa dosis lactucæ.
Per quantitatem intellige Continuã, non
discretam e. g. si quis in febre, lactuca
utatur pluribus vicibus quoniam prima vice
febris nõ est expugnata sed perseverat
febris præsentia ob quam utitur cursu
lactuca, præsentia febris nõ indicat quant[um]
sed quando agendum.

Hæc a. dosis est summa mediocris &
minima. Summa dosis indicatur à summa
actione morbi, mediocris à mediocri,
minima à minimâ. Notandũ a. licet
interdũ summa dosis indicetur non semper
ea utendum, quia præter actionem summã
indicantis requiritur etiam virtus permittens
seu robusta.

Nota item unum nonnisi tm̃ unum indi-
care sed unum posse et indicare quid
agendũ et esse signum alterius indicantis
v. g. recessus à naturali statu indicat reme-
dium quid agendũ in tali gradu, idem recessus
potest esse signũ alterius indicantis sc. actionis
quæ indicat quantum agendum.

Quomodo agendū est. modus agendi qui
etiam ad materiam remedii refertur, perti:
net vel ad substantiam, ut quando utimur
rhabarb. in substantiâ solida vel fluidâ
vel ad qualitatem quæ est alterativa
ut si utimur lactuca actu calida vel frigida
lactuca potentiâ est frigida sed actu admi:
nistrari potest modo calida, modo frigida
vel motiva ut si utimur lactuca directe
vel in modum stillicidii vel citra stillicidiū
applicando lactucam. Hic modus
agendi est indicatum et debet indicari ab ali:
quo indicante. Hoc indicans non potest esse
essentia morbi quia morbi essentia sive
generica sive specifica quomodocunque capiatur
nihil aliud indicat quam quid agendum.
Modus agendi non est quid agendum et ob
id non potest indicari ab essentia. indicatur
ergo ab eo quod consequitur essentiam morbi
hoc a: non est actio quia unum nonnisi unum
indicare potest, Actio indicat quantum, est
ergo morbi passio à qua indicatur modus
agendi. fundamentum huius veritatis est
experientia quod medicamentum vario modo agit
et eo modo magis modo minus efficaciter
agit prout vario modo administratur v.g.
medicamentum refrigerans efficacius agit
si actu frigidum administratur et medicamen:
tum calefaciens efficacius calefacit si actu
calidum administratur.

Quando agendum sive tempus opportunū
consideratur vel ratione unius materiæ
medicinalis et est vel generale i. unū
ex 4 morbi temporib. vel particulare i.
hora v.g. dum exhibenda est frigida ingrediendū
quo morbi tempore et quâ diei hora sit
exhibenda. vel ratione plurium
materierum idque vel in unico affectu
ut si in febre utendum sit endivia et
nymphæa quæ sunt materia refrigerantes
invicem tñ discrepant cum altera sit re:
missior ut endivia, altera intensior ut
nymphæa cognoscendum est quæ de his primo
dari debeat vel in pluribus affectib.
ut si utendum sit frigidis ratione febris, verum

sectione ob materiam sanguineam, vacuare
aut vino ob virtutem, cognoscendus est ordo
agendorum 1, videndum quodnam de his primum
usurpari debeat.

Indicatur a ordo agendorum qui nil
aliud est quam quando agendum sive sit
tempus universale sive particulare
a praesentia quae consequitur essentiam
vehementioris indicantis quae locum
habet quando non adest prohibens: nam dum
adest prohibens seu id quod impedit habet
rationem vehementioris indicantis quia secus
non prohiberet. Idem igitur est ac si dicatur
indicari a praesentia indicantis & absentia
prohibentis. hanc praesentiam vehemen:
tioris indicantis cognoscere ratione
temporum universalium non est adeo
difficile, at ratione temporum
particularium difficillima nam non
scribi possunt tempora particularia: plu:
rima n. concurrunt ut cognoscamus qua
hora et quo tempore particulari v.g. sit vena
secanda nam licet possimus venam secare
ante cibum non tamen semper eadem hora secamus
sed quandoque illico ante cibum quandoque per
horam quandoque per duas horas praeterea
alii aegrotantes post venam sectam egent somno
alii non. quod a. dicit Galen c 6 l 7 meth.
ad investigandum tempus agendi opus esse
naturarum inspicere proprietates, proponit
has proprietates ut signa virtutis prohi:
bentis.

Quando agendum ratione unius mate:
riae indicatur a praesentia vehe:
mentioris indicantis ut in causo
circa statum utimur frigida quia eo
tempore febris praesentia magis potest
ad indicandum aquam frigidam quam
materiae cruditas ad prohibendum
hic igitur indicans est vehementius prohi:
bente et adest praesentia indicantis ve:
hementioris. sic Galen. 1 ad Glauconem
9 ait in tertiana intermittente post ista
balnea qui admodum delectantur sibi si in diu
lavent non errabunt. At delectatio hoc in
loco non est indicans, sed signum virtutis
permittentis.

Tempus agendi ratione plurium
materierum sed in unico affectu
desumitur etiam a praesentia vehementio:
ris indicantis unde si contingat indicans
esse vehementius convenit a validioribus
inchoare, si vero periculum non impendeat
inchoandum a levioribus quae nisi proficiunt ad
validiora ascendendum

Ratione plurium materierum in diver:
sis affectibus sciendum contraria indicantia
quandoque uno tempore locum habere, si agere
possunt ut in ulcere partis humidioris utimur
eodem tempore siccis et humidis, siccis ratione
materiae excrementitiae quae est indicans praeserva:
torium, humidis ratione partis quae pars secundum
naturam habet temperiem humidam quae indicat
humidum quia indicat sui conservationem. ubi
notandum temperiem non esse indicans curatorium
quia curatorium indicat contrarium, natura vero
partis similem sui custodiam indicat. quan:
doque diversis temporibus. si non agere possunt
i. si alterum habet rationem causae vel principa:
lis vel sine qua non vel urgentis: sic in ulcere
temperies habet rationem causae principalis
haec n. carnem generat: causa sine qua non est
sorditiës cavitas in ulcere, licet n. pars ulce:
rata sit temperata nihilominus non potest
ulcus removeri nisi cavitas repleatur remota
sorditie: Convulsio si accidat ulceri habet
rationem urgentis. Urgens est antepo:
nendum causae principali et sine qua
non: ab eo n. imminet periculum mortis
hinc fit ut interdum cogamur affectum
insanabilem relinquere ut si ulcus sit cum
luxatione oportet luxationem dimittere interdum
etiam novum affectum insanabilem excitare
ut si sanguis immodice fluat cogimur vas
abscindere i. venam vel arteriam. Causa
principalis est anteponenda sine qua
non: efficit n. et auget affectum. Causa
sine qua non tolli potest morbus est
anteponenda morbo haec n. causa sine
qua non, ad morbum refertur non ad causam
principalem i. sine qua non potest tolli causa
principalis quia secundum hanc rationem
esset tollenda causa sine qua non quam princi
palis. sed cum morbus habeat causam princi:

palem & causam aliam sine qua non, primo causæ principali occurrendum ultimum locum obtinet morbus, v.g. sit ulcus quod habeat coniunctam inflammationem sorditiem et cavitatem, primo studemus removere inflammationem ut introducatur temperies quæ est causa principalis, secundo occurrimus sorditiei 2, causæ sine qua non potest curari ulcus, postea solutæ unitati.

Urgens causa principalis & sine qua non concurrunt ad indicandum tempus curationis per præsentiam quia quando agendum à sola præsentia indicatur, non ab ordine, sic etiam ordo concurrit in eadem signi- nam ordo nobis significat vehementiam intensiorem & remissiorem, t, hanc præsentem causam esse vel magis vel minus vehementem et postea ab hac præsentia nō ab ordine indicatur quando agendum.

Quod vero ad causam sine qua nō dicit Galen. huius causa requirendum esse ad id quod ordo præscribit sc. quid ante quod, quid cum quo & quid post agendū per ordinem .a. intelligit Galen. ordinem causarum infer v.g. pituita potest accipi ut generatur in cerebro 2 ut descendit a capite in ventriculum 3 ut iam est impacta in tunicis ventriculi et producit morbum frigidū in ventriculo. sic ordo præscribit quid ante quod, in duab. causis v.g. primum occurrendū materiæ ut generatur in capite 2 ut fluit. constituit quid post quod in plurib. causis quam in duabus v.g. 2 occurrimus pituitæ ut generatur in cerebro, permanent duæ causæ pituita quæ fluit et pituita impacta. quare occurrimus primum pituitæ fluenti deinde impactæ quod est perpendere quid post quod.

Ubi agendum indicatur à subsistentia ut consequente essentiam indicantis sic in febri balneum aquæ dulcis applicatur toti corpori quia febris habet subsistentiam in toto corpore et cum .a. Galen. c. 21 l. 13 meth. ait locum medicamentorum applicandorum invenire ex cognitione actionis et usu partium accipit actionem et usum ut signa quæ cum locum affectum significant etiam significant subsistentiam indicantis à qua sumitur ubi agendum. sic raritas et laxitas partis non sunt permittentia nec crassities et densitas prohibentia sed sunt signa virtutis permittentis ac virtutis prohibentis.

Quod dictum est de morbo, idem de
causa morbifica intelligendum est Cau:
sam quae non est symptoma indicare in praesidiu
dicitur tum solum ad administrationem praesidii.
Per causam morbificam hic non intelligimus
formalem sed efficientem quae consistit in
corpore aegrotantis sive in eo sit genita
ut sanguis vitiosus, sive extra corpus
ut pila plumbea quae per bombardam impulsa
[illegible] [illegible] sit [illegible] praesens in corpore
[illegible] sit causa [illegible] quid pro
distinctum a morbo et symptomate sive per
accidens ut symptoma quod est accidens
habet rationem causae efficientis morbificae.
Remedium quod a causa indicatur est
solum praeservatorium nam curatorium
remedium indicatur a morbi essentia at ma:
teria, causa efficiens quorundam morborum
non est de morbi essentia quia morbus
non est compositus ex accidente et substantia
sed tantum est accidens. Et si contingat morbum
in intemperie aliquam habere materiam
haec extra essentiam est et habet rationem
causae efficientis et ab hac capiatur indi:
catio prophylactica. Sic Galen. 11 meth. 2
dicit putridas febres praeter curationem etiam
praeservationem sibi adiungere hoc est causae
sublationem.
Si ergo causa indicat remedium praeservatoriu
hoc est quid agendum necessarium est ut hoc indicet
per sui essentiam, siquidem quid agendum a sola
essentia indicatur.
Causae essentia est vel generica ex
[illegible] in corpore aegrotantis [illegible] efficere
quare secundum hanc essentiam genericam
indicat remedium ad differentiam alimenti indicati
a virtute, indicat removens ad differentia
remedii conservantis indicati a virtute,
indicat remedium removens causam ad differentiam
remedii curatorii quod indicatur a morbo.
Ratione essentia subalterna & specifica
causa morbifica est vel intemperies
quae indicat contraria ut intemperies fri:
gida ventriculi in febre pituitosa ut habet
rationem causae generantis pituitam seu mate:
riam febris indicat calefaciendo. Unde Gal.

11 meth. 1 dicit sæpe adscititiam in tempore
ad efficientes caussas redieri et quid indica
tionem illis concedere præservativam. Vel
materia quæ est mistum præter n. lædens
hominem ægrotantem, mistum dr̃ et indicat
esse substantiam non qualitatem, præter
naturam ad differentiam misti s. n. ut est hepar
et præterea ad differentiam rei non naturalis
ut panis non ingestus ubi n. ingestus est
et offendit est mistum p. n. et ipse habet
rationem caussæ morbificæ lædens [illegible]
[illegible] materia ut potest lædere bruta
ægrotantium ad differentiam illius materiæ quæ
lædit et est p. n. sed in corpore nondum ægro
tante quæ locum habet in arte tuenda sani
tatis.
Nota vero primam indicationem ratione
dignitatis sumi a virtute, ratione
temporis a caussa nam in executione
primum est absolutida indicatio quæ sumitur
a caussa: ratione inventionis indica
tionem a morbo. Unde Galen. 11 meth. 10
ait indicationem sumptam a febre esse
primum et ultimum, primum ratione
inventionis ultimum ratione executionis
seu administrationis materierum.
Differentia materiæ morbificæ desu
muntur ex allata definitione 1 a materia
ut est mistum 2 ut est p. n. 3 ut lædit
4 ut lædit hominem ægrotantem.
Materia morbifica ut est mistum seu
substantia corporea est vel vapor vel
minera. Vapor indicat remedium
removens materiam morbificam
per insensibiles meatus. Minera
contra indicat remedium vacuans per
sensibiles meatus: nullo n. modo potest
minera vacuari nisi per sensibiles meatus
quod si minera convertatur in vapore
tunc non indicat amplius ut minera
sed ut vapor.
Improprie dr̃ vacuatio [illegible] vel
sensibilem vel insensibilem nam vacuatio
quæ fit per sudorem est vacuatio sensibilis

quia sudor conspicitur: at pori per quos fit sudor
sunt meatus insensiles
quod si forte vapor fuerit pituitosus
indicabit specificum remedium scilicet vacuans
per insensiles meatus vaporem pituitosum et
sic de caeteris.
Haec autem minctura vel est Animata ut
vermis, caro, monstrum etc. vel Ina:
nimata quae vel est solida ut cal:
culus pila plumbea faeces duriores vel
liquida et haec vel alimentalis ut
chylus sanguis vel excrementitia
ut humores excrementitii semen lotium, sa:
nies ichores faeces liquidiores etc.
Minctura ergo omnis in genere subal:
terno indicat vacuans per sensiles
meatus: in specie autem quaelibet mi:
nctura significat determinatum vacuans
[illegible] indicat generica quadit specificandum
descendi[illegible] hanc vel illam minctura specie
ut sanguis indicat vacuans sanguinem
bilis vacuans bilem. Itaque determinata mi:
nctura species indicat remedium specificum
unde indicans determinata sumitur a succo
determinato. Cum autem dicit Galenus 4 meth.
6 morbi magnitudinem perpendendam esse
ad indicandum non modo vacuationem san:
guinis sed etiam purgationem; ibi morbi
magnitudo signum est peccati excrementis
materiae sive sit sanguis sive alius humor
in sanguine
Minctura quatenus est mistum p.n. prae:
dita est formam, quantitate, qualitate
tum alterativa scilicet prima & secunda, tum
motiva. quodlibet autem peccatum specificum
ac determinatum indicat remedium specificum
praeservatorium. Sic Gal. c 99 art parva
ciebat, superiores nec debere esse putridos
respiciens peccatum secundum formam plu:
rimos sec. quantitatem, calidos et frigidos
sec. qualitatem alterativam primam, morda:
ces sec. qualitatem secundam, lentos per:
celeres in motu
Materia peccans in forma est quae toto
genere est p.n. quae dupliciter considerate

vel per se et calculus lumbricus, membr
in suffusione. pila plumbea per bombardam
transmissa in corpus vel per accidens
quod potest esse duplex, tum contentum
et humor putridus tum continens caro
putrida et corrupta in corpore humano na
humor et caro per se ac propria ratione
non sunt toto genere p.n. sed ex accidenti
quando corrumpuntur ac putrescunt.
Talis materia toto genere p.n. indica
remedium secundum totum auferens quod pe
Eradicans vocari. at si no liceat v
in suffusione quia virtus partis seu oculi p
hibet extractionem, indicat transpositionem
in locum minoris momenti. et etiam
si supprimatur lotium à calculo occludente
meatum excretis calculus est transponendus
Differentia a. est inter hac duo remed
indicata quod alterum est vehementius rel
oportet a. vehementiam hac ratione perpen
dere et id quod vehementius est mag
possit ad indicandum remedium eradi
cans quam virtus ad prohibendum
et hoc est vehementius indicans quod magis
potest quam virtus At in calculo vesicae
quia virtus quandoque permittit incisionem
ob id ad extractionem confugimus. Quare
materia toto genere p.n. si secundum suam
essentiam sit vehementior quam essentia
virtutis indicat extrahens: si vero sit
minus vehemens quam vehementia virtutis
hac essentia minus vehemens indicat
transponens et in suffusione non licet ex:
trahere membranulam quae est materia
suffusionis eo quod virtus oculi prohibet
qua indicat tum sui conservationem.

Materia morbifica et peccat se:
cundum quantitatem duplex est I
Contentum est humor qui in corpore conti:
netur, cuius vitium est exuperantia (de:
fectus n. potius ad virtutem pertinet) qua
indicat evacuationem secundum [illegible]
partem no secundum totum I, imminutionem
non eradicationem. Evacuatio est indicati

atis genericum quod desumitur à peccato in quanto
generico At indicatum specificum debet indicari
ab indicante specifico. Indicans specificum est
sanguis non simpliciter et peccat in quanto sed et
peccat in quanto determinato v.g. sanguis pec:
cans ad quantitatem unius librae, et hoc indi:
cans specificum indicat quid agendum specificum
i, imminuendo seu evacuando ad libram. Hoc
indicatum locum habet sive remedium sit
minuens per se ut phlebotomia, purgatio
sive per accidens ut inedia. quod a. G.
meth. 11. ait variationem non modo inveniri de
redundantia materiae sed de aetate, natura
aeris, consuetudine et ante haec de virtute
non oportet imaginari haec omnia esse indicantia
quia unum nonnisi ab uno indicatur. Ideo indi:
cans est redundantia seu peccatum in quanto,
permittens est virtus, ideo ait hanc praesertim:
dam esse omnibus indicatis: virtus a. concurrit
non ut indicans sed si robusta est ut permit:
tens, si debilis ut prohibens, reliqua i.
aetas, consuetudo, temperatura & aer signa
sunt, [illegible] s.e. et sanguinis redundantis &
[illegible] indicantis, et virtutis robustae et ideo
permittentis.

II Continens quae est pars solida viventis &
haec vel continet materiam quies:
centem veluti cutis caro quae sunt partes
vinctae vel materiam fluentem ut
sunt vena vel reliqui ductus seu canales
per quos fluit contentum. Cutis & caro
etiam non morbosae evadunt in
causa morbifica sine quibus non re:
quia detinent pus aut aliam materiam mor:
bificam non remediatur materia a. morbifi:
ca detenta nocet & ideo cutis ut detinet
materiam morbificam nocet, proinde habent
rationem indicantis praeservatorii. Hoc vitium
sive haec essentia pertinet ad quantum. quod
peccatum in quanto nil aliud est quam con:
tinuitas cutis vel carnis quae indicat
contrarium sc. divisionem indicans .n.
praeservatorium oppositum indicat. quare
cutis quia propter continuitatem detinet ma:
teriam morbificam indicat dividens con:
trarium cuius materia est ferrum.
Vasa dupliciter habent rationem causae
morbificae respectu materiae contentae
licet ipsa vasa per se sana sint. I propter

amplitudinem quando materia morbifica cum aliogui fluere non deberet et in immodicis vacuationib. quamuis amplitudo sit secundum naturam, ex accidente tamen redditur morbosa ratione materiae fluentis. Et haec amplitudo indicat contrarium remedium angustans cuius materia v.g. est ligatura vel aliud defensiuum quod prohibet transitum materiae. || Vitiae continuitatis vasa detinent sanguinem aut aliam materiam. Et hoc peccatum per suam essentiam indicat diuidens sicut fit in vena sectione et extrahatur sanguis.

Materia morbifica qualitas quâ peccat est prima vel secunda. vtraque indicat suum praeseruatorium sic materia calida indicat frigidum, crassa attenuans, viscida detergens dura emolliens.

Vitium materiae morbificae in motu duplex est. Defectus & exuperantia. si deficiat motus indicat remedium adiuuans ac intendens illum motum deficientem et si sanguis non effluat ea copia quâ debet, tantum addere oportet ut coniunctis ambobus, perficiatur quod postulat sanguis.

Si sit excedens materia morbifica in genere secundum hanc essentiam et secundum motum exuperantem indicat remedium compescens & hoc est remedium satis generale: verum quod indicatur a motu excedenti superfluo. remedium a specificum quod continetur sub hoc genere est Intercipiens Reuulsorium, deriuatorium quod duplex est simplex & mixtum, atque reprimens seu repercussorium

Ratio horum indicantium & indicatorum haec est quod materia p.n. mota motu excedenti et vitioso requirit spatium per quod moueatur, à motore extrinsecus, ut motus incipiat à termino à quo, & desinat in terminum ad quem. quatenus igitur motus requirit spatium, indicatur remedium compescens hunc motum quod in spatio est intercipiens vbi nota remedium illud genericum hoc compescens motum illum superfluum exuberantem

contrahi ac euadere specificu sc intercipiens
ratione spatii per quod mouetur materia
causa ac extrinseci motoris qui mouet à
termino a quo ad terminum ad quem indicatur
remedium auferens violentiam extrinseci
motoris violenti ut materia mouatur
potius in aliam partem. Motor a. violentus
extrinsecus duplex esse potest Attrahens vel
impellens et utercz indicat remediu con-
trarium, attrahens sc indicat impellens, &
impellens indicat attrahens. Sed quia utrumq;
est contrarium ideo ut euadat specificu oper-
tet indicans magis contrahere. Id a. notis-
simum est quod attrahens contrarium, indicans
contrarium, indicet contrariu necessarius vg
si pars attrahit per caliditatem ut duo, indi-
cat calidum ut tria. Idem dicendu de impel-
lente. Attrahens igr euadens magis adhuc
specificum triplex esse potest prout in motu
excedenti materia consideramus motorem
vel ratione termini A quo vel ratione termini
ad quem vel simul ratione utriusq; termini
vg si consideramus materiam peccantem ut
respicit terminum à quo indicatur remediu
attrahens ad longinqua quod vocatur Reuul-
sorium seu diuersorium. Si vero termini
ad quem indicatur attrahens ad vicina seu
ad latera quod vocatur deriuatorium s.
vero indicatur à solo motu, à solo fluxu
ratione termini ad quem. Si tandem perpen-
damus motum vitiosum excedentem ratione
motoris extrinseci in relatione simul utriusq;
termini A quo & Ad quem indicatur attrahens
quod vocatur deriuatorium ad differentiam
reuulsorii, & in specie mistum ad deriuatorium
simplicis. Impellens indicatur in à motu
materia ratione termini ad quem quod vo-
catur Reprimens seu Repulsorium.
Intercipiens remedium respicit spatium per
quod materia mouetur. Intercipientis a-
ctio non per se fit sed ratione alterius sc.
incrassantis vel angustantis vg dum inter-
cipimus materiam descendentem in cathar-
ro à capite ad pulmones seu diacodium &
non est putandum beneficio horu medica:

mentorum materiam illam fluentem vero ac p...
sive seu primaria ratione intercipi ac ita mo...
ipsius inhiberi sed intercipitur fluens materia
quia frangitur ac hebetatur illius motus dum
dictis remediis incrassamus materiam tenuem
quae ob tenuitatem facile movetur quare ma-
teria tenuis indicat crassefaciens cuius ma-
teria medicinalis est diacodium. Praeterea
dum intercipimus materiam fluentem ligan-
et adstringendo partes, materia remedii
est ligatura & defensivum vocatum quae m...
teria, sunt quidem materia alicuius remedii
sed non materia intercipientis, sed remedii
angustantis & adstringentis indicatur à vasis
& ductibus amplis.
Revulsorium seu divertens est remedium
attrahens ad longinqua et respicit terminum
à quo & indicatur à materia mota p.
n. i, motu vitioso cuius motus vitiosi seu
indicantis signum est situs partis. At n.
revulsorium debeat esse sursum i, per vomi-
tum vel deorsum per alvum indicatur à moto
materia et sursum vel deorsum movetur quae
motum significat nobis et signum situs part...
qua a. pars vel inferna vel superna esse
debeat, cui materia revellentis remedii sit
applicanda, hoc non indicat motus materiae
quia hoc pertinet non ad quod agendum sed ad ubi
Revulsorio utendum si fluxio valentior
irruat: fit n. revulsio ad contraria.
Derivatorium simpliciter est remedium
attrahens ad vicina et respicit terminum ad
quem. Remedium derivans potest accipi
causa immoderatae vel evacuationis vel reple-
tionis. Causa evacuationis (ut in immodico
mensium fluxu) derivans indicatur à materia
quae fluit et movetur. Causa repletionis
cum materia fluens repletionis est causa,
licet materia indicans derivanda, non fluat
ab una parte ad aliam, fluit tamen e vasis
illius partis ad spatia eiusdem partis et,
secundum hanc rationem indicat derivans.
Mistum est remedium attrahens ad loca
nec omnino vicina nec omnino remota et respicit
utrumque motus terminum à quo & ad quem
sic in pleuritide vena sectio ab eodem
latere est materia remedii revellentis.

ratione materia fluentis, est etiam materia remedii derivantis ratione materia fluxa cuius signum est, quod fit evacuatio ad mutationem sanguinis qua mutatio significat evacuari materiam fluxam. & hoc remedium vocatur derivatorium revellens seu revulsorium derivans prout magis vel revellit vel derivat:

Reprimens est remedium impellendo repellens materiam ad locum affectum fluentem dum non est crassa. Indicatur à motu materia et respicit terminum ad quem.

Verum materia morbifica in quiete indicat commovens seu evacuans per partem læsam vel insensibiliter ut vapor quiescens per digerentia seu diaphoretica vel sensibiliter ut humor impactus.

Materia corpus lædens, lædit vel vehementer vel citra vehementiam. Secundum hanc essentiam materia indicat remedium vel vehemens, vel debile ut de morbo dictum. differentia tamen est quia remedium vehemens indicatum à morbo vehementi est curatorium à materia præservatorium.

Quatenus hominem lædit materia morbifica, lædit partes determinatas i. magis secundum unam partem quam secundum aliam et sic indicat remedium specificum e.g. vomitorium, dejectorium, diureticum tussiculare, signum a huius essentia indicantis hoc signum materia morbifica lædentis partem determinatam est conformatio partis ut pars est instrumentalis: sic materia in pectore indicat tussiculare.

Quomodo causa morbifica indicet certam præsidii administrationem ex supradictis repetendum quia et morbo & causa commune hoc est negotium nisi quod ille curatorium, ista prophylacticum exhibet indicatum.

Quantum agendum indicatur ab actione
causæ morbificæ: si .n. est summa bilis
actio indicatur summa dosis Rhei.

Modus agendi indicatur a passione
causæ morbificæ h.e. si bilis sit crassi:
rhabarbarum exhibendum in bolo quia efficacius
agit: bilis .n. ob crassitiem difficulter patitur

Quando agendum indicatur a præsentia
materiæ et secundum essentiam vehemen:
tioris indicantis unde sive intentio sit
evacuandi sive revellendi eodem die repetenda
venæ sectio quia ubi sanguis actu lædit præsen:
tiam habet quæ secundum essentiam admodum
vehementem si autem non actu lædat sed possit
lædere is vel copia peccat vel impetu, si
copia eodem die, si impetu diversis diebus
phlebotomia iteranda et quidem ea in evacua:
tione eodem die, in revulsione diversis dieb.
ratio est quia copia magis potest et præter:
ea in peccato secundum quantitatem vires
melius perficiunt repetitam evacuationem
eodem die.

Ubi agendum seu locus administrandi
indicatur à subsistentia materiæ cum
.n. agens per contactum agat, necesse est ut
materia remedii accedat ad materiam
morbificam: Ita si materia morbifica in
ventriculo habet subsistentiam, exhibemus
medicamentum per os.

Symptoma non indicat nec prohibet
per se ac per suam essentiam quo accidenti
tamen aliquando mutat curationem h.e.
prohibet unde etiam necessario indicat quia
id quod prohibet necessario etiam potest indi:
care, sed quo accidenti ut habet rationem causæ
vel augentis morbum vel lædentis vires [illegible]
est indicans præservatorium; hoc .n. ve:
rissimum est nullum dari indicans præter cura:
torium, præservatorium et vitale.

Cum triplicia sint symptomata sc. Actio,
excretio & qualitas. Symptoma quod habet
rationem indicantis est actio læsa vel
excrementum mutatum non qualitas mu:
tata hæc .n. simul cessat cum affectu unde
oritur ac licet respectu sui essentiam habeat
permanentem et sit in facto esse ut vocitur à

Galeno affectus) tn̄ sui persev[er]antia necq[ue] virtutem lædit nec morbum auget, præterea non potest indicare remedium quod morbum intendat et actio læsa et excrementum nā præsidiorum materia quæ sanant morbum sanant etiam qualitatem, & ob id Gal. dixit qualitatem mutatam cum affectu unde nascitur una cessare quia remediū quod sanat affectum sanat etiam qualitatem In Ictero .n. si aliqd superest post remotam vesicæ felleæ obstructionem id quod remanet nō ad actiem curatricem sed ad obstructionem pertinet.

Actio non indicat secundum suam essentiam quatenus est in fieri sed secundū perseverantiam læsionis quatenus nō cessat una cum affectu: si .n: cessat tunc indicans non est symptoma sed affectus. si .n. contingat uno remedio et symptoma et affectū leniri, remediū nō indicabitur à symptomate sed à morbo v.g. in pleuritide dolor et inflammaō per venā sectā minuitur quare id quod indicat nō est dolor sed sanguis ad cuius imminutionem etiam dolor imminuitur. Contrà dolor habet raōnem indicantis cum nō imminuitur unà cum morbo, sed potius intenditur ad imminutionem affectus v.g. in putrida dysenteria cum dolore si utamur lacte imminuetur dolor sed affectus magis putridus reddetur, quod si utamur muria imminuetur putredo sed intendetur dolor: datur igitur symptoma quod ita perseverat in læsione seu quod læsionem habet permanentem nec minuitur simul cum affectu, imò potius intenditur. Sic excrementū mutatum ut fluxus immoderatus habet raōnem indicantis quia nō cessat nec imminuitur una cum imminutione affectus v.g. sit fluxus immoderatus materiā prava, fluxus indicat adstringens, materia vacuans.

Quando vero Galen. l. 12 meth. c. 1 ait symptoma ex accidenti curaōnem mutare esse tn̄ per se indicans. sciendum indicans ex accidenti posse capi dupl[icite]r

1 ut finem per accidens respicit sic
virtus per se est indicans vitale quia per
se respicit vitam est a. indicans ex accident
in vena sectione quia respicit finem ex acci:
denti scilicet evacuationem sanguinis quem finem per
se respicit sanguinis peccatum, ideoque dicta
hoc loco accepta ut indicans ex accidenti non
est per se indicans sed vocatur potius permissi
ii non ratione finis quod hunc per accidens
respiciat quia non esset per se indicans, sed
quia per naturam accidentalem
qua sibi accidit indicat sic symptoma
non ut symptoma sed ut causa per essentiam
causa qua sibi accidit indicare potest.
Ita hic accipite et ob id symptoma per se
est indicans quia respicit per se finem quem
respicit causa at hunc finem non respicit ut
symptoma sed ut habet rationem causae.
Symptoma in genere ut habet rationem
causae indicat sui remotionem quid agen:
dum genericum. Specialiter ut dolor
indicat mitigatorium. fluxus
immoderatus adstringens.
quod ad usum quantum indicatur ab
actione symptomatis.
modus a passione.
Tempus agendi a praesentia ut sequitur
essentiam vehementibus. nam symptom
quandoque habet rationem causae principalis, quan
doque causae sine qua non, et quandoque urgentio
hinc Galen. 12 meth. 1 comparat sympton
et cum virtute, et cum affectu p. n. ut pa:
teat quodnam magis postulet: si n. collaban
vires non tamen vehementer sint resolutae ad
symptoma tamen respiciendum quia magis
potest symptoma quam virtus debilis non tamen
vehementer dissipata si vero vehementer re:
solvantur vires oportet & symptomati
prospicere & vires firmare maxi
me ubi potest symptoma ita ut licet vires
sint admodum resoluta sit tamen necessarium
occurrere symptomati: si n. solis viribus
occurramus dolor urgens poterit esse causa.

mortis. Si symptoma et affectus urgeant quandoque magis potest symptoma, quandoque magis affectus ita ut spreto symptomate etiam dolorificis sit nonnunquam utendum. Sed num magis possit symptoma, an affectus nobis significat virtus si n. sit robusta magis potest affectus et occurrendum affectui: si contra vires sint debiles primo dolor mitigandus et vires firmandae antequam prospiciamus affectui.

Ubi agendum sumitur à subsistentia.

Indicans vitale est virtus i. ad vitae custodiam pertinens: non n. a virtute requirimus ut valeamus neque ut à morbo liberemur sed ut vivamus, i. virtus per se respicit vitam, licet per accidens morbum et causam respiciat. & eorum respectu possit esse indicans vel curatorium vel praeservatorium at per se respectu vitae est indicans vitale.

Porro virtus ut indicans vitale necessario indicat quid agendum per suam essentiam & genericam et subalternam & specificam ut etiam reliqua indicantia

Quoad essentiam genericam virtus accipitur ut quod secundum naturam in quod reliqua omnia secundum natura referuntur ut sola virtus sit indicans vitale.

Essentia virtutis quoniam secundum naturam est indicat sui custodiam quae custodia indicat i. significat praesidium simile ut in morbis sublatio significat contrarium. nam ut generica indicans à morbo desumpta est contrarietas seu contrarium remedium ita à virtute est custodia i. iuvans simile cum n. custodia sit indicatum non potest indicare nam indicatum procedit ex indicante.

Essentia virtutis subalterna seu specifica indicat simile subalternum seu specificum. Cum a. indicans à virtute accepta sit vitae custodia et vita sit vel facultatum numerus vel essentia vel actio secundum quod virtus sit potentia animae vitam custodiens & cum tres sint facultates, sic nare

facultatis est vitam servare.
Quoniam vero facultates nō operantur nisi
per subiecta et organa ideo Galen: c 1 l.
11 meth: ait virtutis essentiam com.
plexi è substantia spirituali,
solida & carnosa c: at c 5 l 12 omittit
carnosam quia loquitur de syncope quæ nō
fit ratione carnis nam virtus minorem locū
obtinet in carne, præstantiorem in spiritib.
præstantissimum in solidis.
vitalis igr indicatio sumitur à Con
tinente & impetū faciente, non
autem a contento quia contentū seu humor
etiam secundum naturam ad actionem nō
concurrit nec est organum sed effectus
opus vel obiectum. Continens concurrit ad
actionem ut quod. Spiritus vero ut cum quo.
Sed continens ob propriam substam obtinet
calidum innatum quod a spiritu est tempore
diversum est. Ideoq virtutis essentia consistit
* siue seminalibus partib. in Spiritib. carne solidis & calido innato
in qbq 3 sunt servanda substantia
quantitas, qualitas, et motus præter
ista tria in spiritib. calidoq innato conser:
vandus est, in carne vero & solidis conspicitur
unde Indicantia vitalia subalterna
sunt substaā quantitas, qualitas et
motus, spiritaū carnis, partiū similariū
et calidi innati quæ oīa indicant custodia
seu præsidiū simile nō auferens.
Substaā siue hæc sit spirituū, siue carnis
siue partiū seminalium siue calidi innati
in genere indicat iuuans substan:
tificum 1, alimentum ad eiusdem remedii
Ideo Galen. 11 meth. 14 ait ratione febris
non esse nutriendum sed solam virtutem
nutrimentū indicare ut quod inanitum
est de substaā reparetur. Dum igr Gal
1 de ratione victus 44 asserit a virtute
solam indicari alimoniam, intelligendum est
virtus non omnib modis sed secundū illam
essentiam quæ est substantia virtutis.

Alimentum indicatum satis genericum est
specificum vero et magis determinatu
indicatur a varia virtutis substaã
nam spiritus substaã quia tenuissima est
indicat alimentum tenuissimum solidorũ
substaã quia crassa indicat alimentũ crassũ
carnis substaã quia media est inter tenuem
et crassam indicat alimentũ medium inter
tenue et crassum. verum datur in iis
substantiis latitudo v g in puerili
ætate solidorũ substaã quæ crassa est, minus
est crassa quam in aliis ætatib. non tamen propterea
ætas est indicans alimentũ, sed sola virtutis
substaã: ætas vero per mediam temperaturã
est signũ substaã solidæ magis vel minus
crassæ v g. in pueritiã temperatura calida
et humida, est signũ substaã solidæ minus
crassæ et mollioris.
Quantitas partiũ viventiũ intelligitur
continua i, magnitudo, non discreta
numerus .n. partium semper manet, sed
magnitudo solidorum seu partiũ seminaliũ
in iis corporib quæ augentur et crescant non
manet eadem sed augetur: carnis a quanti:
tas aut spiritus nõ modo in corporib. quæ
augentur, sed etiã in adultis mutatur et modo
augetur modo minuitur. Hinc si solida
sint maiora indicant alimentũ
maioris nutrimenti cuius materia est
caro caponis, si minora indicant ali:
mentũ minus nutriens, cuius materia est
caro pulli. proinde mensura similium i,
quid augendũ specificũ seu quantitas determina
ta indicatur a quantitate seu magnitudine
substaã conservanda. Nota vero a quan:
titate virtutis indicari mensurã
alimenti dummodo servetur paritas.
nisi .n. conferamus puerũ cum puero vel
adultũ cum adulto nõ servabitur paritas
nam puer eget alimento ut conservetur
et ut crescat, adultus .a. nõ ut augeatur
quia nõ amplius augetur sed ut conservetur.
Quod si duo sint adulti alter maior, alter
minor rationi consentaneũ est opus esse
copiosiori alimento, causa maioris calidi

Qualitas virtutis vt et ipsa quantitas
est quoque essentia virtutis et proinde indica
-non est signum. hinc a temperie substa
seu qualitate indicatur an alimentu
debeat esse calidu vel frigidum
qualitas .a. seu temperamentu partiu
indicat similem: quod tn non est ali:
mentu sed remedium: na alimentu indicatur
a virtute cuius essentia est substaa, alimentu
-a- determinatu indicari etiam potest a quantitate
substaa virtutis. medicamentu vero seu re:
mediu indicatur quoque a virtute, sed vt eius essen
tia est qualitas. Qualitas .a. nutrimen
ti non est vnum indicatum semper
sed potest esse duplex: praeseruatoriu
vt indicatur a qualitate materiae morbificae
qua si calida est indicat frigidum: vitale
vt indicatur a temperamento solidorum et hoc
debet esse simile

Motus potest etiam esse virtutis essentia:
vt motus calidi innati qui indicat con
seruans .i. vniens et adstringens ne dissipetur
motus; per adstrictionem .n. vires firmantur
et calidum innatu vnitur. hinc Galenus ait
adstringentia idonea esse quia roborant affectu
partium ne excrementa suscipiat. quare adstrin
gens indicatur a parte seu virtute, et indicatu
est custodia seu corroboratio partis. Nota tn
Indicationem a motu no esse per se quia dum
seruatur quantitas et qualitas calidi innati
etiam motus seruatur.

Virtutis essentia est vel substantia
vel temperies: si capiatur virtus
vt eius essentia est temperatura locu
habet in febrib. Ephemeris sine virtus sola
perpendatur siue conferatur cum aliis indican:
tibus. Si vero sumatur virtus vt eius essentia
est substa, secundu quam essentia no indicat
alterans seu victu medicinalem sed iuuans
substantificum .i. alimentu primum si quide sola
virtus perpendatur, hoc no comparetur cu aliis
indicantib. Locum habet in omni morbo quare
etiam in Ephemera. Si vero sumatur prout com
parata cum aliis indicantib. Indicatio a virtute
raro habet locum in Ephemera no semper quia
in hac comparatione quo robustior est virtus
eo magis despicitur: contra virtus debilis

* an se- magis vel minus possit.

7 Comment. c. ult. proponit quid agendū et quan-
do. Quid insinuat dum proponit à parte
calida morbo frigido affecta indicari magis
calidum, à calida a affecta morbo calidū
indicari minus frigidum. Ratio est quia in
parte calida morbo frigido affecta est
maior recessus et ideo indicat remedium
magis alterans, cuius intensionis gradus
seu recessus à naturali statu signū est partis
temperatura. Quare id quod indicat est morbus
partis, temperatura a. est signum gradus
morbi. Proponit etiam quando agendum
cum ait in parte calida si morbo frigido
afficiatur, longiori tempore esse utendum
medicamento, quod agendi tempus sumitur
à praesentia morbi frigidi qui diutius durat
dum est maior recessus, quam durationem seu
perseverantiam nobis indicat temperatura.
Unde temperatura nō indicat quando agendū
sed est signū praesentia indicantis quando
agendum.

V. l. pars et praestans, est signū virtutis
prohibentis per actionem et usum unde in
parte nobili nō confestim vacuandum
nec medicamentum exhibendū in summâ
dosi, quatenus vero ignobilis est pars signū
est virtutis permittentis magna vacua-
tionem. Quandoque tū etiam in parte ignobili
virtus potest prohibere, dum virtus partis
ignobilis imbecillis adscititia est reddita
(namque virtus natiua permittit) ut ratione
aetatis, morbi vigiliarū &c.

Figura partis confert ad inveniendū re-
media vacuantia determinata. Ita ventri-
culus vomitu et deiectione evacuatur. Intesti-
na deiectione tm sicut et iecoris cava,
renes vesica et iecoris gibba si copiosus
succus vitiosus nō fuerit per urinas. Nā
remedium vacuans determinatum indicatur
à materia morbifica et laedit partem
determinatam cū tali figura ut figura
nō sit indicans sed signum determinata
laesionis materia. Ita materia copia nō
est indicans (quia copiosa materia indicat
minuens non deiectorium aut diureticum)
sed est signum ductus permittentis vel prohi-
bentis nam si ductus sit angustus copia

significat hunc ductum prohibere transitu copio:
sa materia: si vero ductus sit amplior copiosa
materia est signum virtutis permittentis.

Vomitorium indicatur à materia morbifica
quatenus laedit partem determinatam tale
Iecur non simplr sed Iecur ut habet talem
positionem et inferioris cavo subiectum ventriculo.
Quare situs est signum determinatae laesionis
materiae et vomitorium est indicatum materia
laedentis Iecur non simplr sed ut iecur talem
habet situm. Deiectorium indicatur à materia
morbifica ut laedit iecur talem habens positionem
et societatem habet cum intestinis non cum ventri:
culo. Quare sunt duo indicantia et duo indicata
vomitorium & deiectorium quae duo indicata
tanquam à signo significante à situ et à pro:
prietate Iecoris.
7 motus ult. seu sub. hebes est signum virtutis
permittentis etiam vehementius remedium et
summam dosin: contra sensus acutus est signum
virtutis prohibentis et validius medicament:
et summam dosin.
13 mot. 7 Galen proponit quid agendum spe:
cificum alterans in tali gradu quod indicans
potest esse curatorium et vitale. si curatorium
indicatur à morbi gradu cuius signum est tempe:
ratura. Si vitale indicatur à virtute cuius
essentia est partis temperatura. nam indicatio
vitalis desumpta à parte similari est desumpta
à virtute cuius essentia est temperatura.
quod a ait Indicationem quae capitur à dissi:
milari parte determinare locum in quem
evacuare oportet. R cum proponere quod
agendum determinatum ut vomitorium quod
indicatur a materia ut laedit partem ita
compositam et conformatam [illegible] compositio
est indicans sed est signum materiae indicantis.
vel proponit ubi agendum quod indicatur à
materia subsistentia cuius signum est situs
compositus partis ut si pus est in inguine
inguini materia remedii est applicanda.
quod a ait c 9 Indicationes inflammationum
sumptas à partis natura situ et figura
immutare curationem 2 usum pluriu remedio:
rum sed diversis temporib. instituendum
R hanc curationis mutationem significare
partem affectam ut est signum materiae indi:
cantis v g temperatura calida significat

materiam attractam; temperatura frigida significat materiam transmissam et si plures sit instrumentalis ut zeuxi secundum simum significat virtutem non perficientem partionem profundam et per intestina faciendam sit evacuatio.

quod etiam ait partem instrumentalem in usu medicamenti similis speciei indicarem pluris minorisque modum ex partis actionem et conformationem esse signum materia crassioris vel tenuioris a qua materia crassiore indicatur magis tenue quam indicetur à materia porrosa.

quod ait 2 ad Glaucon. 2 à parte 4 sumi indicationes à temperatura formatione situ et virtutis loquens ibi de cura inflammationis et primum ait temperaturam docere quousque sit alterandum et temperatura sit signum gradus inflammationis qui gradus est indicans. quod formam refficit ad meatus et cavitates unde colligi potest conformationem non esse indicans sed signum materiae pertinacis seu quae resistit magis evacuationi quoniam pars est destituta cavitate. quod autem ait positionem docere per quae evacuare oportet et quomodo. proponit quid agendum specificum et ubi. quid agendum specificum vocat quomodo. qui modus indicatur à materia et laedit partem talem situm obtinentem ergo materia et laedit eius indicat diverticulum. quare laesionis signum est situs qui tamen non indicat. ubi indicatur à subsistentia cuius signum est situs. quod ad virtutem, virtus praestans prohibet, ignobilis permittit.

In arte medicinali c. 89 dum ait capi indicationem à partis temperamento et situ gratia intemperiei, causa autem materia evacuanda indicationem capi à forma et situ simul. [illegible] primum exemplum pertinet ad doctrinam de medicamentis. In secundo proponit conformationem et situm ut signa virtutis vel permittentis vel prohibentis.

Methodus medendi est ars qua per indicationes
inveniuntur Iuvantia et deperdita sanitas hominis
reparatur
Causa eius efficiens est Indicatio, Instrumentum
se logicum cuius beneficio habitus ille principa:
lis comparatur.
Indicatio est comprehensio Iuvantis simul cum
comprehensione indicantis circa efficientia &
analogismum gratia sanitatis deperdita reparand.
Indicans consideratur absolute vel relativ.
Absolute consideratum praesidium seu
indicatum analogum subministrat, indicando
vel secundum essentiam vel secundum conse:
quentia essentiam.
Essentia est ipsa Indicantis quidditas
tum generalissima tum subalterna et specialis
quae indicat praesidium ipsum seu quid agendum
generalissimum subalternum et speciale.
Consequentia essentia sunt adiuncta
quae usum seu administrationem praesidii indicat
suntque Actio passio praesentia & subsisten:
tia.
Actio indicat quantitatem praesidii
passio indicat qualitatem
praesentia indicat tempus administrandi
Subsistentia indicat locum administrandi
Indicans est vel p. n. vel sec. n.
praeter naturam indicat ablationem
sui per contrarium.
praeter naturam est vel morbus vel
causa morbifica.
Morbus est similaris, dissimilaris communis
Causa morbifica alia est per se causa,
alia per accidens
Causa per se est Intemperies vel materia
Intemperies indicat alterans contrarium
Materia peccat forma quantitate qua
litate motu et quiete
Materia peccans formâ toto genere
p. n. est idque vel per se ut lumbrici vel
per accidens radix corruptionis sive sit
contentum ut humor putridus sive conti-
nens ut caro putrida. Et hac indicat me-
dicamentum Eradicans seu secundum totum
auferens

Materia quantitate peccans est contentum vel Continens
Contenti vitium in quanto est exsuperantia quae indicat minuens seu secundum partem evacuans
Defectus contenti ad virtutem pertinet et indicat alimentum.
Continentis seu partis vincentis vitium est tum Continuitas cutis carnis et vasorum exitum materiae morbificae prohibens quae dividens indicat. tum amplitudo vasorum materiam detinenda liberum transitum permittens, quae indicat angustans.
Qualitatis vitium tam prima quam secunda indicat alterans contrarium.
peccatum in motu est defectus vel exsuperantia
Deficiens motus indicat remedium intendens motum
Exsuperans motus indicat remedium compescens seu minuens motum.
In motu exsuperante considerate Spatium vel terminus tum à quo tum ad quem tum utrumque.
Ratione spatii per quod materia movetur indicatur remedium intercipiens.
Ratione termini à quo motus incipit, indicatur attrahens ad locum contrarium, maxime distantem quod Revellens dicitur cuius usus est fluxionis valentes irruentes
Ratione termini ad quem fit motus indicatur remedium ab illo termino materiam removens.
Hoc removens vel attrahit ad vicina et dicitur Derivans cuius usus est fluxione cessante. vel impellit retro et dicitur reprimens, cuius usus est fluxionis principio materia non existente crassa.
Ratione utriusque termini indicatur remedium attrahens ad loca nec omnino remota nec vicina et dicitur derivans revulsorium.
peccatum in quiete indicat commovens seu vacuans per partem affectam sive sensibiliter sive insensibiliter.

Causa per accidens est symptoma hoc que
vel actio læsa vel excrementum mutatum
et indicat ut causa quatenus vim habet causæ

Indicans secundum naturam est virtus
quæ sui custodiam per simile indicat
virtutis essentia consistit in substantia
tum crassiore ut carne et solidis, tum tenuiore
ut spiritibus et calido innato. utraque substantia
simile indicat alimentum quoad substantiam
molem et crasin, tenuior præterea hæc dissi-
pabilis substantiæ unionem per adstringens flagitat

Indicans comparate consideratum est
quando unum indicans cum alio discrepante
ratione vehementiæ confertur.
Vehementia est indicantis adiunctum
qua vel vitam vel meliori vitæ gravitate
incommodat. Estque vel simplex vel secundum quid.
Simplex quando indicans secundum propriam
essentiam et in qualibet parte vehemens est
simplex vehementia est vel activi-
tatis ut in febre ardente vel resisten-
tiæ ut in materia dura.
Secundum quid est quando indicans ratione
subiecti sive partis affectæ nobilioris est
vehemens.
Indicans ergo contrarium si vehemen-
tiam habet intensiorem dicitur prohibens
si remissiorem permittens.

Arte aliqua venire possumus in cognitionem
prohibentium hæc a est methodus resolutiva et
demonstratio signi quæ non spectant ad artem
curandi sed ad partem medicinæ semeioticam
sit n. ulna servanda virtus vitalis prohibeat
pulsu noscitur virtutis vitalis infirmitas.
Dolor sumitur bifariam uno modo formaliter ut
dolor est, alio modo causaliter. Indicationes quæ
sumuntur a dolore ut dolor est duæ sunt sensus tact
obtusio et eiusdem remotio et ambæ sunt præservatoriæ
quia non concurrit dolor ad indicandum nisi
ut habet rationem causæ urgentis. Si vero consideretur
dolor causaliter causa doloris vel est morbus
vel causa solum. A morbo sumitur indicatio curativa
a causa præservatoria. Sed istæ indicationes quæ
præsente dolore sumuntur vel a morbo vel causa
non sunt indicationes a dolore ut dolor est quatenus
sc. est sensus obiecti contristantis.

